



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**S. Augustinus, Episcopus in Africa Hipponensis, Veritatis
Evangelico-Catholicæ In Potioribus Fidei Controversiis
Testis Et Confessor, Contra Bellarminum Et Alios
Scriptores Papæos, antiquos pariter & ...**

Reiser, Anton

Francofvrti, 1678

Controversia principalis secunda De Justificatione & bonis operibus in
genere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72506](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72506)

Controversiæ Principalis Secundæ
DE
JUSTIFICATIONE ET BONIS
OPERIBUS IN GENERE,
LIBRI PRIMI
CAPVT QVINTVM & seqq.

DE

Notione Fidei justificantis, ejusdemque objecto.



Remittit huic tractationi Bellarminus Explicationem nominum & justificationis & iustitiæ, suis inserviens pro more hypothesis, quas suscepit defendendas. Nostra hic Opera iterum circa illud solum erit occupata, quod auctoritatem respicit Augustini, dum de cæteris alij jam fuere ex debito solliciti. Utitur eâ Bellarminus in antecessum, ubi quartam vocabuli Justitiæ significationem proponit, quam monet adtendi, ubi de Justificatione sermo sit, ita scribit: *Accipitur demique iustitia pro Rectitudine internâ, quæ sola est simpliciter & absolute Justitia, & dicitur Justitia erga DEUM & proximum, quæ sola est simpliciter & absolute Justitia, & dicitur Justitia Fidei, quia à Fide incipit, & Justitia Dei, quoniam ab Illo donatur.* De hac scribit Apostolus, *Et inveniar in illo, non meam habens iustitiam, quæ ex Lege est, sed illam, quæ ex Fide Christi est, quæ ex Deo est iustitia in Fide.* Ubi notandum est, scribit Bellarminus, Justitiam ex Lege, quæ opponitur Justitiæ ex Fide, non esse Justitiam Legis, id est, Justitiam in Lege scriptam, sed esse Justitiam sine auxilio Gratiæ ex solâ Legis cognitione factam. Hinc Augustinus inquit, *Miro modo, sed tamen vero justitiam Legis non implet iustitia, quæ in Lege est, sed quæ in Spiritu Gratiæ.* Addit Bellarminus, idem enim significant Justitia ex Lege, & Justitia in Lege. Interna igitur Justitia, ita Bellarminus pergit, sedem habet in corde; nam Justitia Legis est in libris, Justitia operum est in manibus, Justitia Fidei sive DEI est in animo, id est, in voluntate, quæ cordis nomine in Scripturis solet adpellari, & ideo in Scripturis justi dicuntur recti corde. De hac loquitur Augustinus, *Hic in unoquoque, iustitia est, ut homini obedienti DEUS, animus corpori, Ratio autem vitis etiam repugnantibus imperet vel subigendo, vel resistendo.* Est autem hæc Justitia duplex, ita porro scribit Bellarminus, habitualis & actualis, quod aperte docet Augustinus, illud tractans, *Facit iudicium & iustitiam,* ubi monet, *Psalmum loqui de iustitia actuali, id est, de opere Justitiæ, quod faciunt, qui iusti sunt, non de ipsâ Virtute, quam DEUS in nobis facit, cum justificat impium.* His ita præmissis, post explicationem causarum Justificationis, formato etiam Statu Quæstionis de Fide iustifica, ipsam adgreditur Controversiam de ejus objecto, probare conatus, eam non esse fiduciam Misericordiæ, sed solum ad sensum firmum ac certum ad ea omnia, quæ DEUS proponit credenda, provocans aucter ad ipsam Fidei definitionem, quam exhibuit Apostolus in Epistolâ ad Ebræos, quod nimirum sit *Substantia rerum sperandarum, & argumentum non adparentium.* Et quia in Textu Græco vocatur *ὄψις ἰσχυρῶς ἐπιτιμῶν*, monet Bellarminus, ambiguum hoc esse, & verti posse, tum hominum sperantium, tum rerum speratarum sive sperandarum; addens, Augustinum ferè ubique hunc citat locum, legere *sperantium*, & juxta hanc Lectionem fore Sensum, *Fidem esse Substantiam sperantium*, id est, quasi vitam & animam, quæ iustum hominem sustentet, qui terram despiciens speret ac expectet æterna. Ubi autem hoc aliis Scripturæ testimoniis per diversas sex classes confirmare studuit, subjunxit; Hæc omnia demon-

vid. Meissn.
Phil. S.
part. II.
Qv 27. &
28.

Phil. 3.

lib. III. ad

Bon. c. 7.

de Civ. D.
1. 19. c. 27.

Conc. 26.
in Pf. 118.
vel 119.

c. II.

demonstrant apertè, *Fidem esse in intellectu*, ac per hoc ad eam nullo modo pertinere Fiduciam, *quæ est in Voluntate*; quibus addere possumus testimonium Augustini, ubi dicit, *credere nihil esse aliud, nisi cum ad sensu cogitare*, ita ut cogitatio sit quasi genus, ad sensum quasi differentia. Nam, ut Ipse ibidem docet, *multi cogitant, qui non credunt, imò etiam aliquando cogitant, ut non credant, sed nullus credit, qui non cogitet*, quo loco Augustinus manifestè nostram confirmat Sententiam, inquit Bellarminus. Verùm hoc non contentus, peculiari capite id etiam demonstrare studet, *Fidem justificam non tam esse Notitiam, quam Ad sensum*, præmissis iterùm Scripturæ dictis, Augustini quoq; adhibita autoritate, è cuius Scriptis sequentia depromsit testimonia. Primum ex Epistolâ post centesimam secunda, ubi ita scripsit Doctor Sanctus: *Si propter eos solos Christus natus est, qui certâ intelligentia possunt ista discernere, penè frustra laboramus in Ecclesia*. Bellarminus hanc addit glossam, Et sanè ita esse, testatur Experientia, cum maxima pars fidelium vel propter ætatem puerilem, vel propter sexum muliebrem, vel propter ingenii hebetudinem, vel propter imperitiam literarum & scientiarum, quales sunt penè omnes rustici, non solum non intelligant Mysteria Trinitatis & Incarnationis, & similia ad Salutem necessaria, sed vix quidquam animo concipiant præter verborum sonum, & tamen inter fideles meritò numerantur, cum fatentur se credere, DEUM esse Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, juxta sensum Ecclesiæ. Secundum Augustini testimonium ex libro contra Epistolam Fundamenti hoc est: *Turbam non intelligendi vivacitas, sed credendi simplicitas facit tutissimam*. Tertium ex Commentatio in Johannem duplex est, dum priori scribit, *Intelligentiam Mysteriorum esse præmium Fidei*; Posteriori autem monet: *Non quia cognoverunt, crediderunt, sed ut cognoscerent, crediderunt*. Quid enim est Fides, nisi credere, quod non vides? Quartum tandem est ex Sermonibus de Tempore: *Considera, quod voceris fidelis, non rationalis*. Denique accepto Baptismo hoc dicimus, *fidelis sum factus, credo, quod nescio*. Post hæc observat porro Bellarminus, Judicium sive ad sensum esse duplicem, alterum enim sequitur rationem & evidentiam rei, alterum verò autoritatem proponentis; priorem dici Notitiam, si propriè loqui velimus, posteriorem dici Fidem, Augustino ita scribente: *Quod intelligimus aliquid, rationi debemus; quod autem credimus, autoritati*. Igitur, quod addit Bellarminus, Mysteria Fidei, quæ rationem superant, credimus, non intelligimus, ac per hoc Fides distinguitur contra scientiam, & melius per ignorantiam, quam per notitiam definitur. Hoc jam, uti putat, obtento regreditur Bellarminus ad priorem de objecto Fidei Controversiam, porro demonstraturus ex Sacris Literis, id non esse speciale DEI Misericordiam, sed omnia quæ Deus revelare dignatus est, in primam aciem locatâ Fidei Confessione, quam Petrus edidit de Christo, à Patribus insigniter commendatam, & in primis ab Augustino, nihil tamen aliud exhibentem quam Christi Divinitatem. Præterea provocat ad Symbolum illud antiquissimum, quod Apostolicum dicitur, propterea quod Apostoli ipsum condiderint, ut inter omnes constaret, quamnam esset totius Fidei Christianæ summa, Augustino iterùm in testimonium adducto, cuius autoritate id etiam probare conatur, contineri hoc Symbolo, quamvis breviter & in Summâ totum Fidei objectum, utpotè qui illud his definiverit verbis, quod sit *Comprehensio Fidei nostræ simplex, brevis, plena, ut simplicitas consulat audientium rusticitati, brevitatis memoria, plenitudo Doctrinæ*; Et quod sit *breviter complexa Fidei regula, ut Mentem instruat, nec oneret memoriam*. Adducit insuper loca Patrum, per Fidem justificam intelligentium eam, quæ dicitur Catholica, quæque totum respicit Symbolum, interque eos Augustini etiam, ex libro de Fide & Symbolo, Commentario in Genesim imperfecto, & Enchiridio ad Laurentium, unde præsertim ostendit, *Deum Fide, Spe & Charitate coli*; Item, *Mentem imbui debere Fide: ut bene vivendo tendat ad speciem*; Iterùm, *Salutem his tribus adquiri, Fide, Spe & Charitate*, hac additâ argumentatione: *Quicumque invocaverit Nomen Domini, salvus erit. Sed non potest invocari Nomen Domini, nisi credatur prius*. Idè Fides credit, Spes & Charitas orant. Ex quibus locis manifestè colligimus, scribit Bellarminus, eum loqui de Fide justificante & salvante, de quâ mox in sequentibus docet, eam distingui à spe, ac per hoc etiam à Fiducia, non solum nomine, sed objecto etiam, unde ratio propria sumitur ac Essentia virtutum. Verba hæc sunt: *Est Fides & rerum malarum & bonarum, quia & bona creduntur & mala, & hoc fide bonâ, non malâ. Est etiam fides & rerum præteritarum & presentium & futurarum; credimus enim mortuum esse Christum, quod jam præter-*

de Præd. Sanct. cap. 2.

cap. 4.

Tract. 27. & 40. Serm. 189.

de util. cred. cap. 11.

Tract. 10. in Epist. Joh.

Serm. 181 de Temp.

Serm. 115. & 119.

c. 2. 5. & 7.

cap. 8.

Paulo & Augustino huic de Justificatione peccatoris Controversiæ quasi loco fundamenti substratum voluit Bellarminus, utrique grandem interens injuriam & alienam adfingens mentem. Et Paulo quidem, de cujus Sententia *Esthicus*, etiam contra nos disputans, & gravissimos errores nobis adscribens, contra Bellarminum movit, *Iustitiam ex Fide Christi*, quam Apostolus *Iustitiæ ex Lege* opponit, intelligendam esse *de Iustitia per Fidem, quæ in Christum creditur*, utpotè quæ sola sit vera Iustitia, & dicatur *ex Fide, quæ in Christum creditur, tum quia per hanc Fidem cognoscitur*, eam non aliunde, quam ex Merito Passionis Christi posse haberi, *tum quia Fides illam impetrat*, imò & initium ejus est, (NB. non de Fide, sed ipsâ Iustitia hoc intelligi debet, aliàs prima non responderent secundis,) aded ut & ipsa non nisi per Christum habeatur. Verùm & Augustino, utpotè ad cujus auctoritatem in hâc Explicatione provocat *Esthicus*, ea citans loca, quæ statim Bellarminianæ perversioni opponentur, ubi vel tribus ostensum erit verbis, Augustinum ibi, ubi Bellarminus Eum sibi faventia scripsisse putavit, in Opere videlicet *contra duas Pelagianorum Epistolas* ad Bonifacium, occasione verborum Pauli, quæ prolixissimè tractavit, *Iustitiam, quæ est in Spiritu Gratia*, oppositam *Iustitiæ in vel ex Lege*, non intellexisse eam, quæ in ipso Justificationis actu attenditur, verùm quæ ipsam Justificationem sequitur, tanquam effectus, de quâ & quæcunque ad eam pertinent, expressè scripsit: *Hæc omnia nondum plena & perfecta erant in Apostolo, sed tanquam in via positus ad eorum plenitudinem perfectionemque currebat*. Idem insinuat magis perspicuè in Sermone post decimum quinto de Verbis Apostoli, commendans ex Eius mente *Iustitiam, quæ est per Fidem Christi, quæ impetrat à Deo, quæ est ex Deo, Iustitiam in Fide ad cognoscendum Eum & virtutem Resurrectionis Eius*, quam videlicet Paulus in proximè sequentibus nominaverat. Iterùm in Epistolâ post centesimam sextâ, agens de *Iustitia ex DEO*, quærit, *Quæ ex Deo est Iustitia in Fide?* Et respondet, *utique, quæ credimus, nobis Iustitiam Divinius dari, non à nobis, in nobis, nostris viribus fieri*. Sed satis hæc clara sunt, nec indigent uberiori demonstratione. Quod verò Bellarminus porrò hanc *Iustitiam*, quam in præsentem Controversiâ vult attendi, vocat *internam*, sedem in voluntate hominis habentem, ob quam justii dicantur recti corde, Augustinum ex Opere de *Civitate Dei* citans testem, iterùm à scopo aberrat, quia Pater Sanctus ibi, ut in testimonio proximè vindicato, non agit de *Iustitia*, quæ in ipsâ Justificatione locum habet, sed quæ in fidelibus jam justificatis est, utpotè de quâ in sequentibus monet, quod Bellarminus omittere non debuit, *ut ab ipso petatur Deo & meritorum gratia, & venia delictorum, ac de Bonis acceptis gratiarum actio persolvatur*. Post ubi duplicem statuit *Iustitiam* Bellarminus, habitualem & actualem, ac de hâc, non verò illa loqui *Psalmem Regium* ex mente Augustini docet, ad præsentem quoque Controversiam non pertinet, cum neque hæc, neque illa in actu Justificationis, per quem homo peccator coram Deo fit justus, attendatur, ipseque Augustinus hoc satis manifestè indicavit, cum ibidem, ubi Bellarminus suæ distinctionis fundamentum se invenisse putavit, expressè scripsit: *Quis fecit in homine Iustitiam, nisi qui justificat impium, hoc est, per Gratiam suam ex impio facit justum? Facit ergò Iustitiam, id est, opus Iustitiæ qui habet in se Iustitiam, id est, opus Gratia*. Atque sic ostensum, aliter uti vocabulo *Iustitiæ* Augustinum, ubi loquitur de homine jam justificato, aliter verò, ubi eum considerat in actu Justificationis constitutum; quam diversitatem quia neglexit observare Bellarminus, mirum non est, quod hic etiam perpetuo vertiginis spiritu circumactus scopum minimè adtigerit.

Nunc vindicias requirit *Definitio Fidei Apostolica*, quâ dicitur *ὁπίσταντες ἐλπίζομεν* id est, *Substantia vel substantia rerum sperandarum*, vel prout Bellarminus ex Augustino vertit, *sperantium*, ita ut subjectum, non objectum Fidei à Paulo videatur hic insinuat. Eas suppeditat laudatus modò *Esthicus*, Interpret apud suos maximi æstimatus, qui hujus Versionis authorem non facit Augustinum, sed Eum ita in *Veteri quâdam Translatione* legisse monet, addens, hunc Interpretem, qui reddidit, *sperantium*, ut sibi constaret, etiam alteri membri participium *actived* reddere debuisset, videlicet, ut Fides diceretur *ἐλεγχθῆναι ἢ ἐλεπομένων*, id est, argumentum seu convictio *non videndum*, cum & illud sit in Græco *medium*, quod tamen nec fecerit, nec sine absurditate facere potuerit; rectius igitur esse, ut utrumque capiatur *passivè*, quod Sensum habeat

Ebr. 11.

beat manifestum & Apostoli scopo aptissimum. Neque hoc sufficit ad vindicandum Augustini auctoritatem, sed illud etiam insuper notandum, quod evolutio plerorumque locorum, ubi hoc Apostoli testimonio usus legitur Augustinus, ostendit, Eum minime Mentem suam huic Versioni addixisse, sed potius ad ipsum verborum Sensum respexisse. Inde in Enchiridio ad Laurentium, ubi hæc ipsa de re agit, notanter scribit: *Quod attinet ad non videre, sive quæ creduntur, sive quæ sperantur, Fidei speique commune est.* Sicin opere de peccatorum meritis & remissione, postquam non solum hanc Fidei definitionem exhibuit, sed propositi etiam ab Apostolo fidelium catalogi meminit, notanter hanc observationem addidit: *Hæc laus Fidei non esset, nec omnino Fides esset, si homines in credendo præmia sequerentur visibilia, hoc est, si fidelibus merces Immortalitatis redderetur in hoc Seculo.* Alia nunc prætermitto loca, ubi eadem ferè leguntur, unde potest constare, Augustinum non *subjectivè, sed objectivè* hanc etiam Definitionis partem intellexisse.

Sequitur in eadem tractatione Quæstio, *num Fides justificat sit in intellectu, ac voluntate?* In cujus discussione, ut non dicam, Bellarminum sibi met ipsi contradixisse vel scripsisse, quod *Gerhardus* noster in *Confessione Catholicâ* docuit ad oculum, cerè ubi ad suas partes in excludendâ Fide ab actu Voluntatis Augustinum trahere laboravit, videtur omnino nescivisse, quid agat, dum & verba, quæ ex eodem adduxit, & quæ uberius in loco leguntur, tam sunt clara, ut clariora esse non potuerint ad demonstrandum, *Fidem pertinere ad Voluntatem.* Ego hic ea adscribo, quæ præcedunt testimonium ex libro de Prædestinatione Sanctorum à Bellarmino laudatum: *Quis non videat, prius esse cogitare, quam credere, nullus quippè credit aliquid, nisi prius cogitaverit, esse credendum? Quamvis enim raptim, quamvis celerrimè credendi Voluntatem quædam cogitationes antevolent, moxque illa (nimirum, credendi Voluntas,) sequatur ita, ut quasi conjunctissima comitetur; necesse est tamen, ut omnia, quæ creduntur, præveniente credantur cogitatione.* Et quid quæso est, cum ad sensu cogitare, dum Bellarminus dicit, in Fidei definitione Augustinianâ, quam proponit, cogitationem esse quasi genus, *adsensum quasi differentiam*, quæ ut plurimum occupat locum causæ formalis in definitionibus rerum, quam id voluntariò amplecti, quod intellectui fuit propositum & commendatum, tanquam res bona & omni modo acceptabilis? Hoc qui non capit, neque vult capere, ostendit, se omni sano carere intellectu, privatumque esse omni Voluntatis propriæ nutu, ac instar bruti non nisi ea intelligere & velle, quam quæ alios intelligere & velle videt vel audit, quod annon pertineat ad *Fidem Carbonariam*, id est, nullam omnino, ubi neque Notitia rerum à DEO revelatarum, neque adsensus, nisi omnino cæcus & irrationalis locum habet, videant, qui ejus defensionem in se suscipere vi hypothelium receptarum tenentur.

Ordo Bellarminianus nunc eam sistit Controversiam, quæ uti è prioris decisione dependet, ita mirum videtur non immeritò, qui potuerit Bellarminus intra lineas tam paucas sibi met ipsi tam apertè contradicere & scribere. Quamvis enim Fidei sedem non in Voluntate, sed intellectu statuerit, vix tamen hoc etiam à se impetrabit Eius defensor, qui ad animum revocabit, quod in hæc Quæstione defendent, Fidem non tam esse Notitiam, quam potius Adsensum. Ad quem namque modum est ostensum, non posse dici adsensum, si Voluntas nihil planè habeat negotii cum eâ; ita non caret absurditate, ei denegare Notitiam, cujus Subjectum est intellectus, atque ad eundem refertur. Taceo multas contradictiones alias, quas utrobique hic & ibi occurrentes alii dudum collegerunt ex Bellarmino. Ut verò ad Augustinum nunc respiciamus, quem iisdem absurditatibus obnoxium præter meritum Lectori exhibuit, ostendendum est, injuriam fieri Doctori gravissimo & accuratissimo, nec aliunde hunc quoque errorem ortum esse, quam vel ex non intellectu, vel studiosè depravato Controversiæ statu. Dum enim Evangelici ad Fidem justificam & salvificam, præsertim in adultioribus & ætatem habentibus maturorem, requirunt *Notitiam*, non intelligunt quidem perfectam omni ex parte, quam neque Apostolus sibi omnibusque in universum fidelibus adscribere ausus est, neque accuratam rerum Theologicarum peritiam, quæ publici in Ecclesia Doctores præ cæteris jure debent esse instructi, adeoque ad alios docendum & informandum idonei.

idonei; sed tamen aliquam illius objecti cognitionem, per quod Justitia & Salus generi humano est restituta, quatenus illud in Verbo per oracula Prophetico-Apostolica, eaque magis manifesta & perspicua est revelatum. Quo enim aliàs modo dicitur Fides ad sensum præbere rei alicui omninò incognitæ, quæque Intellectui non aliquâ ratione sit propostita? Dumque statuunt Philosophi, *nihil esse in Intellectu, quod non prius fuerit in Sensu*, de cuius Canonis usu & abusu, aliàs agitur; hic certè pari modo dici potest, nihil esse in adsensu, qui Voluntatem præsupponit, ut ostensum est, quod non prius fuerit notificatum atque Intellectui commendatum, uti patet. Hoc jam præcognito, noster est omninò Augustinus, etsi plerisque fidelibus in Ecclesia certam denegat intelligentiam, non tamen omnimodam; quod uti de sui temporis hominibus scripsit, ita optandum esset, non etiam de Christianis hujus Seculi id posse & debere scribi, verùm & simul laborandum enixissimè, ut Luce Verbi polterioribus hiis temporibus, post plura Ignorantiæ crassioris & tenebrarum quasi Ægyptiacarum Secula illustriores radios per singularem DEI gratiam emittente, Simpliciores etiam in cognitione DEI & mediorem Salutis ab Eo propositorum per fidelem Doctorum informationem crescant, àque cæcâ Fide magis magisque liberentur. De cætero, Augustinum non omnem, ut dixi, fidelibus sui temporis denegare *Notitiam*, nec eos omninò facere ignorantes, ea docent verba, quæ præmisit illis, quibus Bellarmino visum est uti: Adduxit nimirum verba Pauli, scribentis, *placuisse DEO per stultitiam prædicationis salvos facere credentes*, adque ea observavit sequentia: *Hæc stultitia prædicationis ac stultitia DEI, quæ sapientior est hominibus, multos contrahit ad salutem, ut non solum, qui nondum certâ valent intelligentia conspicere naturam DEI, quam Fide tenent, verùm etiam, qui nondum in ipsa Anima sua ita Substantiam incorporatam à corporis generalitate discernunt, quem admodum certii sunt se vivere, nosse, velle, idè sint alieni à Salute, quam illa prædicationis stultitia fidelibus confert.* Distinguit nimirum inter cognitionem rerum naturalium Philosophicam & inter intelligentiam Mysteriorum Fidei, ut ut illi etiam accuratiores earundem Scrutatores omnimodam certitudinem post plurimos sudores denegare cogantur. Glosâ, quam Bellarminus adtexuit de *atæpæri*, *Sexu muliebri*, *Ingenii hebetudine*, *literarum quoque & Scientiarum imperitia*, opus non fuisset, si ex parte Doctorum major esset ovium, quam Lanæ, ex parte auditorum verò potior Cæli, quam Seculi cura, ac utrobique id debitâ ageretur Sollicitudine, quod officii & Muneris à DEO impositi ratio requirit. Eadem distinctio observata fuit à Patre Sancto, ubi commendavit *credendi simplicitatem*, tanquam fidelibus *tutissimam*, videlicet oppositam *intelligendi vivacitati*, quam in præcedentibus *sincerissimam* vocavit *Sapientiam*, addens, *paucos spirituales in hæc vitâ ad eam pervenire.* Sed neque Evangelici damnant Fidei *simplicitatem*, at implicatam, ignorantiam, stuporem, & quæ alia comitari solent Fidem carbonariam opere tanto commendatam, cæcâ, surdam, mutam, imò mortuam, in negotio Justificationis coràm Deo & æternæ Salutis per Christi Meritum impetrandæ locum habere negant, ob ordinem Divinitus præscriptum, quem mutare, in nullius hominis est arbitrio. Quod præterea *Intelligentiam Mysteriorum* Augustinus dixit esse *præmium Fidei*, etsi ipsamet verba non legantur ibi, ubi ea extare monuit Bellarminus, non obstat requisitæ ab Evangelicis ad Fidem *notitiæ*, cum loquatur eo in loco Pater Sanctus de Incremento cognitionis. Ita, quod insuper scribit, *Fidem nihil esse, nisi credere, quod non videtur*, bene se habet. Verùm si scripsisset, Fidem esse nihil, nisi credere, quod non cognoscitur, tunc de aliquo solliciti esse cogeremur responso, ac videre, quo Sensu id scripsisset Augustinus. Atqui dum aliud est videre, aliud cognoscere, si propriè velimus loqui, nec causa sit, cur Doctorem augustum per videre credamus intellexisse ipsum cognoscere, illatio Bellarmini nulla est. Sic quod alibi scripsit, *Christianum vocari fidelem, non rationalem*, verè scripsit, & subscribunt Evangelici manu menteque constantissimâ, non nescii, Fidem Christiani autoritate revelantis DEI; non ratione niti humanâ. Quid verò hoc iterum contra *Notitiam*, quæ omninò requiritur, etsi ratione non duce, sed pedissequâ & comite? Denique quod fidelis post Baptismum eodem Augustino ibidem teste dicit, *Credo, quod nescio*, si observetur, quâ occasione id scripsit Augustinus, nihil contra Evangelicorum Sententiam scripsisse Eum constabit apertissime. Nimirum scripsit vel potius dixit

Cccc

hæc

vid. Kest.
phys. Soc.
cin. p. 181.
& seqq.

1. Cor. 12

hæc verba in Festo Sanctæ Trinitatis, agens contra eos, qui Mysterium Sanctæ Trinitatis periculosâ, ut vocat, *disputatione* tractabant, inquit, *Lutum & Vas figuli de Creatore disputat, & ad suæ Naturæ rationem non potest pervenire; & curiose querit scire de Mysterio Trinitatis, quod Angeli in Cælo scire non possunt.* Et post alia: *Dicamus ergo simpliciter, Vis scire Naturam DEI, hoc scito, quod nescias; neque in hoc contristeris, quia nescias, quia & Angeli nesciunt.* Sed dicit aliquis, pergit Augustinus, *Quomodo ergo credo, quod nescio? Quomodo sum Christianus, qui nescio, quomodo sim Christianus?* Inter alia autem, quæ respondit Augustinus, hæc etiam sunt, quæ Bellarminus in rem, uti falsò putavit, suam adduxit, plura subjungens, quibus mentem apertius significavit, hæc in primis: *Nonne meum est, piè Ignorantiam confiteri, quam temerè mihi Scientiam* (Nota bene, non scripsit vel dixit, cognitionem,) *vindicare? In die Iudicii non damnor, quia dicam, nescivi naturam Creatoris mei.* Perpende hæc Lector & judica, an, quæ Sanctus Doctor contra curiosam Mysterii Angelis etiam absconditi tractationem & periculosam de eo disputationem monuit, piam præferens Ignorantiam, pertineant ad præsens Institutum, ubi Fidem requirere docetur *notitiam* eorum, quæ DEUS ipsemet nos scire voluit, & in hunc ipsam finem nobis revelavit? Sed neque dum satis hoc fuit Bellarmino, quin adhuc semel in subsidium vocari debuit Augustinus, ut *Adversum duplicem* adstrueret, quem rectius duplici fundamento inniti scripsisset, ex una videlicet parte rationi & evidentia rei, ex alterâ autem authoritati proponentis, ac ibi quidem dici Notitiam, propriè nimirum loquendo, hic verò Fidem, Augustino contestante, *Intellectum esse debitorem rationis, Fidem auctoritatis.* Verum præterquam, quod Pater augustus loco per Bellarminum citato in genere agit de discrimine inter *intelligere, credere & opinari*, primum dicens semper esse sine vitio, *secundum aliquando cum vitio*, tertium verò nunquam sine vitio, quod per partes, ut debet, satis explicat perspicuè, de secundo præsertim notans, *quod credere tunc sit culpandum, cum vel de DEO indignum aliquid creditur, vel de homine creditur facile;* etiam in specie de Fide salvifica scripsisset, eam scientiæ, quam per Verbum intelligere hic voluit intellectam, certo quodam modo, & quidem ratione fundamenti oppositam niti authoritate, nihil docuisset, quod non Evangelici ambabus, quod ajunt, manibus possent amplecti, ac pedibus ire in Doctoris Sancti verissimam ex omni parte Sententiam, Evangelicorum menti ex assensu consentaneam. Nam si id, quod *credimus, auctoritati* debemus, & quidem non hominis, sed DEI, Regis summi, non Tyrannici, qualis Rex Nebucadnezar olim non sine causâ vitus est, Somnii sibi ipse tunc per oblivionem Apocryphi & incogniti Apocalypsin & revelationem à Magis rigorosè conatus extorquere; sed Benevolentissimi, & Voluntatis suæ de æternâ Salute nostrâ rationes & media sufficienter revelantis, certè nulla hic ignorantia locum habere potest, sed adcedat eorum cognitio oportet, quæ nos scire voluit liberos Pater optimus, exarata in Literis Testamenti utriusque, quæ tabulas promissæ hereditatis nostræ continent. Et quamvis hæc magis propriè, quam supra voluit Bellarminus, loquendo non sciamus ex ullâ ratione, quæ nostro Intellectui se sinit extra hos Divinæ Revelationis terminos considerato, & suæ post Lapsam naturæ per peccatum insigniter corruptæ relicto, credimus tamen authoritati Revelantis, sed non sine omni *notitia* ejus, & qui revelavit, & quod revelatum est, quam utramque post hanc Vitam speramus perfectiorem & in suo genere perfectissimam.

Atque hæcenus ex Augustino Fidei pars prima est adserta, videlicet *Notitia*, quam qui nolunt cum Doctore sancto & Evangelicis ad normam ipsius Scripturæ in Fide justificæ & salvificæ admittere, maneat *Agneta*, ut mollissimo utar vocabulo, & si duce iterum Scriptura loqui licet, Afina Bileami stupidiore, quæ Sessorem suum agnovit, magis bruti quam Boves & Asini, Nutritores suos & præsepia, in quibus cibum accipiunt, non ignorantes, imò Avibus ratione carentibus deteriores, quas tempus eundi & redeundi ex instinctu quodam naturali cognoscere DEUS ipse testatur, & nos anniversaria docet Experientia. Nunc porro vindicanda venit tertia pars Fidei, eaque potior, & quidem ratione objecti, quod

quod per singularem *Fiduciam* amplectitur, non quasi Fides in se spectata non omne id pro objecto habeat, quod DEUS in Verbo hominibus revelare dignatus est, uti hanc Sententiam Bellarminus Evangelicis adfricare conatur, præter omne fas & meritum; sed, quod ad præsentis Controversiæ statum præprimis pertinet, quia Fides in actu Justificationis considerata ante omnia homini proponit DEI Patris Misericordiam, sicut erga omnes in univ. homines generalem & Catholicam, omnibus etiam utut diversimodè in Christi Mediatoris Catholici Merito demonstratam & oblatam, ita ei quoque ex fiduciali subsumptione & adplicatione specialem & verè individualem. Quæstione jam sic formatâ facilis est responso ad ea ex Augustino objecta, quibus Evangelicorum Sententiam oppugnare conatus est Bellarminus, Nimirum quod adinet Petrinam Fidei Confessionem, de Christo DEI Filio, ab Augustino commendatam, partim ex Evangelistarum Recensione, partim ex Augustini collatione manifestum est, Petrum tunc minime in Foro Justificationis fuisse constitutum, sed Confessionis, quam Christus à Discipulis tanquam Præceptor fidelissimus requisivit, ut constaret, quantum hæcenus in Scholâ Ejus profecerint. Præterea hoc ipsum est, quod Evangelici docent, Fidei justificantis & Fiduciæ objectum statuentes CHRISTUM, in quo & per quem uti DEUS Pater suam erga homines demonstravit Misericordiam, ita per Ejus Meriti imputationem gratiosam & gratuitam ipse Justificationis actus perficitur, ut suo mox loco uberius ex Augustino docebitur; ut aded Bellarminus hic suo se gladio instar Goliathi jugulandum præberit. Insuper id etiam non negligendum, quod Augustinus notanter circa hanc Fidei Confessionem observavit, ac observandum Bellarminus hæc suâ citatione voluit, quale illud sit Elogium, quo CHRISTUS hanc Fidei ex ore Petri, vel potius ex Revelatione Patris Confessionem excepit. *Videte*, inquit Sanctus Pater, *quæ laudes prosequuntur hanc Fidem?* Tu es Petrus &c. *Quid est*, super hanc Petram &c. *Super hanc Fidem*, *super id, quod dictum est*, Tu es Filius &c. *Magna laus!* Mirum omnino, ausum fuisse Bellarminum Evangelicos ad hoc Augustini testimonium ablegare, per quod præcipuum totius Papismi fundamentum concutitur, & si rem totam justâ libremus lance, omnino evertitur, nisi quod forsitan dubitavit, Evangelicos ita fore curiosos, ut Augustini verba in loco à se citato evolvant, aliàs vix iterum arma eisdem contra se usurpanda traditurus. Verum neque hoc sufficit, ea enim sequuntur porro apud Augustinum, quæ Evangelicorum Sententiam magis firmant, Romanensium verò ignorantiam & cæcæ Fidem omnino jugulant & confodiunt. Ita autem pergit ibi Doctor augustissimus: *Ergo dicit Petrus*, Tu es CHRISTUS &c. *Dicunt & Demones*, Scimus, qui sis, Tu es Filius DEI, Sanctus DEI. *Hoc Petrus, hoc & Demones, eadem verba, non idem animus.* Addit post aliqua: *Aliud est ergo confiteri CHRISTVM, ut teneas CHRISTVM; aliud confiteri CHRISTVM, ut repellas à te CHRISTVM.* Plura ibi leguntur huc pertinentia, quæ docent, non sufficere externam oris confessionem, sed aliquid amplius requiri ad veram Fidem, ut DEO sit grata, ac Ejus impetret Gratiam.

Nunc ad alteram contra Objectum Fidei objectionem Bellarminianam ut deveniamus, Symbolum videlicet, quod communiter audit *Apostolicum*, ob Fidei Apostolicæ Summam, non verò *Apostolorum*, quod Apostoli ipsum condiderint, uti Bellarmino cum pluribus aliis est visum, de quo tamen rationes dubitandi nec paucæ, nec minoris momenti sunt, uti pridem à nostris Doctoribus est ostensum, maximi nihilominus semper in Ecclesiâ habitum, non tanti tamen, ut Synodi universales, quo ut plurimum commendantur Elogio, non licitum sibi putaverint, emergentibus Sathanæ studio & labore non unius generis hæresibus, eidem aliquas addere particulas, quod vix ac ne vix quidem fuissent autæ, si Symboli hujus immediatam autoritatem Apostolicam, & hinc quoque Divinam agnovissent. Undè, quid præsertim de Elogiis, quæ Augustinus huic Symbolo adscribit in Sermonibus *de Tempore*, sit itatuendum, non obscurè patet. Præterquam enim, quod eruditores Critici ex parte etiam ad-

versaria dudum agnoverunt ingenue, non idem de *Sermonibus* his iudicium ferri debere, quia non omnes Augustinum agnoscant Patrem; Sermo inprimis post *centesimum & decimum quintus*, qui cuiusvis Apostolorum in huius Symboli partitione suam adscribit Symbolam, non *bolum* sive partem, uti *Dasypodius* hodie *Catholicus*, sine dubio ex *Altenstaigii Vocabulario* habet, causas præbet non unas, quæ Authorem ejus in dubium vocare jubent, ad minimum de additione suspectam facere possunt, quod præter alios inprimis docuit *Vossius* in peculiari de tribus Symbolis Opere, quod, quia in plerorumque Eruditorum manibus est, citasse nunc potest esse sufficiens. De cætero, quod huic Symbolo adscribit *Perfectionem* Augustinus in hoc Sermonem, mox à principio, de quali perfectione voluerit intelligi, non difficulter potest divinari, videlicet non de perfectione omnimodâ, quam Sacris adscribimus literis, sed conditionatâ & secundum quid, internâ potius & Sensem latentem respiciente, quam externâ Verborum tantummodo sonum exhibente. Ideo etiam in Sermonem post hunc quarto, ad cuius testimonium Bellarminus quoque provocavit, statim sub initium, scripsit Augustinus, breviter huius Symboli commendans, *quod paucis dicatur verbis, unde multum adquiratur*, in proluxâ ejus è Sacris utriusque Testamenti Oraculis Explicatione id ipsum ad oculum demonstrans. Et in Sermonem post centesimum & octogesimum primo, ex quo itidem Bellarminus contra Evangelicos mutuò sumit arma, hæc verba notatu dignissima leguntur, quibus Symboli huius tenor fidelibus commendatur: *Breve est verbis, sed magnum est Sacramentis*, quod ibidem adhuc proluxiori ostenditur Deductione, quâ opus non fuisset, si sub hac brevi Epitome omnia homini Christiano scita & creditu necessaria comprehendere existimasset Augustinus, vel quicumque sub Eius nomine hos Ecclesiæ tradidit Sermones. Quæ omnia & singula, si rite attendantur, uti errorem Bellarmini vel potius ignorantiam, quam Fidei adscribit, juvant minimè, talia nimirum, quæ Notitiâ non qualemcumque & superficialiariam, sed explicitam & cum vero Fidei Sensu conjunctam, ac Confessione non brutali, sed mentali expressam requirunt; Ita Sententiæ Evangelicorum non nocent, quæ hic non respicit hominem in actu Confessionis publicæ, sed Justificationis coram DEO constitutum, in quo etiam ubi Fidem docent per fiduciam Meriti Christi applicationem objecti loco habere specialem DEI Misericordiam, minimè illud intellectum volunt cum exclusione aliorum Fidei articuloꝝ, qui ad eam ratione cognitionis vel præmittuntur, vel etiam immediate sequuntur, prout Catena Fidei Apostolicæ ostendit, sed quia hæc potior pars est in hac Fidei Catenâ, quæ, uti non semel hæcenus dictum, in ipso Justificationis actu attenditur, & porro etiam uberius ex Augustino demonstrabitur.

Inter id perendum est, ut videatur, quàm Bellarminus nihil etiam effecerit testimonii ex Augustini *Enchiridio* ad Laurentium productis, contra Sententiam Evangelicorum, quam hic quoque suscepit oppugnandam in vanum, more solito aberrans iterum à Scopo, ac confundens Fidem justificam, quâ justificam, cum ipsâ Fidei Confessione publica ac utriusque objecto, insuper etiam Augustino alienam adscribens Mentem, quasi, dum à Spe distinguit Fidem, per Spem intellexerit *Fiduciam*, cujus tamen rei indicium in ipsis Augustini verbis adparet nullum. Quamvis enim negari non possit, vocabula Spei & Fiduciam uti in Sacris Literis, ita & in Scriptis Patrum, atque sic etiam Augustini, Synonymicè non semel usurpari, quin & Fiduciam certo quodam modo distingui à Fide, quatenus nimirum vox Fidei pro Notitiâ vel Adientia sumitur; alia tamen est considerandi ratio, quæ ad præsens Institutum pertinet, ubi Fides locum habet Instrumenti, quo visum est uti DEO in Justificatione hominis, tanquam manu mendicæ, Satisfactionem Christi instar Eleemosynæ à manu obferentis DEI accipiente & sibi applicante. Hoc ubi iterum fuerit observatum, erit manifestum, in hac testimoniorum Augustini collectione Bellarminum nihil egisse, sed Lectoris patientia strenuè abulanti; quod itidem ab Eo factum, ubi præter hæc duplex ex Opere contra *Pelagianorum Epistolas* testimonium protulit, utrumque tamen impercipienter, cum

conf. Calov. Syncret. p. 72.

vid. Höpf. de Justif. p. 158.

cum neutrum ex his agat de Fide in ipso Justificationis actu, sed post eum considerat, quatenus nimirum Fides à DEO collata in ipsa Confessione publicâ se præsentem testatur, ut taceam, hæc Augustini testimonia aliâs etiam Romanensibus adversari, partim ubi agitur de Justitia operum, uti suo videbitur loco, partim in Controversia de operibus infidelium, quod supra ostensum.

Super adhuc sunt rationes, quibus utitur Bellarminus, ut Fidem specialis Misericordiae fiducialem ab actu Justificationis excludat, eandemque Evangelicis Augustini etiam autoritate eripiat, ut ut hoc etiam frustra per DEI gratiam. Nam quod primam adinet, ut de formâ nihil omnino dicam, dum utraque præmissarum falsis, incertis & imaginariis nititur hypothesebus, quin Conclusio inde deducta sit absurda, quis dubitabit; ut ut aliâs ex falsis præmissis formaliter consideratis, vel ad formam Logicam redactis, sequi posse verum materiale, artis disputandi peritis non adeo videtur absurdum? Certè, falsa est major Propositio Bellarmini, quam sibi ex Evangelicorum mente fingit indubiam, quod Fides justificans *precedere* *debeat* Justificationem. Quis enim hoc dixit vel scripsit? Et si putavit, hoc esse necessarium, ut, quem admodum in quavis actione hominum naturali pariter & artificiali organum, per quod aliquid debet effici, prærequiritur, ita etiam necessariò prærequiratur Fides ad vel ante ipsam Justificationem, erravit plurimum, actiones Divinas ab humanis nesciens distingvere, illasque ad harum impertinenter modulum examinans, quasi DEO esset impossibile, in ipso actu Justificationis homini justificando, per semetipsum ad recipiendam hanc Gratiam planè idoneo, illud largiri gratiosè organum, per quod visum est liberrimæ voluntati Ejus hominem in se non nisi peccatorem, per adplicationem plenariæ Satisfactionis Christi justum facere & verè coram Throno Sanctitatis suæ justificatum. Neque etiam Subsumtio vel minor Bellarmini Propositio in hac ratione Evangelicis opposita caret falsitate, dum Lectori iterum quasi ex concessis voluit perlatum, Fidem specialis Misericordiae sequi Justificationem; quod, uti eatenus locum habere potest, quatenus homo coram DEO justificatus Fidei ponum, per quod Christi Meritum fiducialiter apprehendit, tanquam rem posthæc nulli futuram ului non seponit, sed ad alias in cursu Christianismi actiones & Exercitia divinitus præscripta, imò ad ipsam Salutem æternam ex eadem DEI gratia impetrandam custodit quam maxime necessariam; ita si intelligatur *exclusivè*, prout Bellarminus videtur hoc adduxisse Sensu, falsissimum est ac nullatenus admittendum. Patet jam sufficienter, quid de Conclusionem hujus argumenti Bellarminianâ sit statuendum, per quam conatus est contra Evangelicos evincere, *Fidem specialis Misericordiae non esse Fidem justificam*; quod etiam non evicisset, si ex abundantâ liberalitate utramque præmissarum hætenus Examini subiectarum largiremur, cum plura possint ex rebus etiam naturalibus adduci Exempla eorum, quæ diverso respectu in unâ & eadem actione rationem & antecedentis & consequentis habent, sine ullâ absurditatis ratione, quam sine verâ ratione sibi finxit Bellarminus ac aliis etiam proposuit. Cadit hinc, quodeunque ad hujus suæ argumentationis confirmationem ex Paulo & Augustino adduxit, dum illius & hujus testimonia nihil aliud contineant, quam quod ex Evangelicorum Sententia dictum est, utroque hic Doctore consentientibus.

Altera Ratio itidem petit principium, idque pro fundamento ponit, quod adhuc est controversum, quando *Fiduciam à bonâ pendere dicit Conscientia, Perseverantia, dilectione DEI & operibus bonis*, quæ omnia sunt contra hypothese Evangelicorum, de quibus certum est, quod Fiduciae & Fidei justificantis non aliud agnoscant fundamentum, nisi solam DEI Misericordiam, quod *utissimum* esse, Bellarminus etiam in sequenti agnovit tractatione, ut ut fraude non pia usus vocabulo *Misericordiae* ludens & abutens, quod ab aliis est ostensum. Nec aliud quid innuit Augustinus verbis ex Libro de *Agone Christiano* desumptis, quin potius Sententiam Evangelicorum egregiè illustrat, *Fidem statuens primam*, videlicet rem, ex parte hominis, *quæ DEO subjugat animam*, quod in ipsâ fit Justificatione. Dum verò alterum esse dicit medium, *Præcepta vivendi*, quibus nimirum porro subjugetur anima DEO, addens, *his custoditis Spem nostram firmari*, quamvis secundum ea, quæ paulò ante meruerunt observari, hic

vid. Danti
havv. in
Idea boni
Disp.
p. 210.

vid. Höpf.
ner. de Ju-
stif. p. 807.

quoque necessum non sit admittere, ut per spem intelligamus Fiduciam, de qua agitur in presenti, verum Spei vox possit hic locum habere in Sensu proprio, & quatenus Fidei opponitur, dum illa respicit futura, hæc autem amplectitur presentia, volueritque adeo Augustinus dicere, hominem ex gratia DEI justificatum ad obligationis præscriptæ debitum Legibus Divinis, quantum in viribus est, obedientem, atque sic Fidei suæ non mortuæ, non historicæ, sed vivæ, & hinc etiam salvificæ fructus instat Arboris bonæ ferentem & ostendentem, hoc quoque documento in Spe suâ ad futurum directâ confirmari, dum in se sentit Spiritûs Sancti operationem non frustaneam omnino, sed in Stadio Renovationis quotidianæ cum aliquo profectu & virtutum cœlitus datarum & virtutum Christianarum conjunctam, quod insuper non parvum præbet lætitiæ spiritualis argumentum, & Charitatis Deo proximoque ex obligatione eadem debitæ augmentum & per gradus incrementum, quod Augustinus ibidem in proximè sequentibus porro observavit, addens, quod eodem modo etiam nutritur Charitas, & incipiat lucere, quod antea tantummodo credebatur. Quid verò hæc, quæso, contra Fiduciam, quam Evangelici Duce Scripturâ, nec dissentiente Augustino, primariam & potiore dicunt Fidei justificantis partem? Quæ porro verba Bellarminus è sexto Augustini in Johanne Tractatu in suam rem, uti putavit, contra Evangelicos adduxit, quasi scripsisset, *Fiduciam procedere ex Charitate*, ibidem non leguntur, prout nimirum à Bellarmino citantur, ut multa ibi sint de Virtute & Efficacia Charitatis; quamvis si ibi extarent, non necessariò de Fiducia, quatenus Fidei justificantis pars est præcipua, esset intelligendum, sed ad fiduciam in aliis Christianismi operibus facile posset referri, prout ipsa Textûs Augustiniani series ex debito requireret.

CAPVT DUODECIMVM & seqq.

DE

Quæstione

An Fides sola justificet?

VT Evangelicos id adfirmantes convincat erroris ex mente Synodi Tridentinæ Bellarminus, Fidei in dispositione ad Justitiam sex alias Virtutes jungit, videlicet Timorem, Spem, Dilectionem, Pœnitentiam, Propositum suscipiendi Sacramenti, ut & novæ Vitæ ac Observationis mandatorum DEI, quæ ex variis Scripturæ dictis & Patrum testimoniiis deducendo, loco *primi argumenti principalis* proponit, nobis iterum ex Instituto ad Augustinum respicientibus. Et quidem ut ostendat, *primò*, Fidem justificare quidem, *sed non solum*, verum ut initium & radicem Justificationis primam, & sic eam agere in hoc negotio, quod suum est, *ut cæteris etiam Virtutibus relinquat locum*, sequentia quinque Augustini testimonia producit. *Primum* è Commentario in Epistolam ad Galatas: *Efficuntur filii sapientiæ, preparante ac præstante id Fide Mediatoris*. Addit Bellarminus, Fides igitur præparatio est ad Justificationem, per quam efficiuntur filii DEI. *Secundum* ex libro de Prædestinatione Sanctorum: *Fides prima datur, ex qua impetrantur cætera*. Tertium ex libro de Bono Perseverantiæ: *Quod initium verius homini Christiano, quam credere in Christum?* Quartum ex Libro de Spiritu & Litera: *Per legem cognitio peccati, per Fidem impetratio Gratiæ, per Gratiæ sanctitas animæ &c.* Ubi post Legem, inquit Bellarminus, quæ extra nos est, primo inter ea loco, quæ in nobis sunt, Fidem constituit, secundò Operationem, tertio Gratiam &c. *Quintum* denique è Sermonem post vigesimum lectando de Verbis Apostoli: *Domus DEI credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur*. Vides, ita iterum Bellarminus, quomodo Fides solum inchoat ædificium, & sine Spe & Charitate non perficit, *secundò*, ut ostendat, Timorem æquè ac Fidem concurrere ad Justificationem, urget Dictum Regii Plauti Parcemianæ, *Domini timorem vocantis initium Sapientiæ*, addens, per Sapientiam intelligi *perfectam Justificationem*, quæ totum componat hominem, Augustino id demonstrante prioris de Sermonem Domini in Monte libri capite nono, per timorem verò, qui sit initium Sapientiæ, timorem intelligere *servilem*, qui sit in peccatore, omnes terè Patres, & inter eos Augustinum, tum loco citato, tum Tractatu in Epistolam Joannis

hannis nono. Subjungit his duplex Augustini testimonium, prius ex adducto in Johannis Epistolam Tractatu sequentibus verbis: *Stimulat Timor, sed non timere: intrat Charitas, qua sanat, quod vulnerat Timor. Timor Dei sic vulnerat, quomodo ferramentum Medici tollit putredinem. Opus est ergo, ut intret primò Timor, per quem veniat Charitas. Timor (est) medicamentum, Charitas (est) Sanitas.* Posterius ex libro de catechizandis rudibus: *Rarissimè accidit, imò ferè nunquam, ut quisquam veniat, volens fieri Christianus, qui non sit aliquo DE Timore percussus.* At certe, inquit Bellarminus, introducere Charitatem, & compellere ad quærendum Regenerationis Lavacrum, disponere ad Justificationem est. *Tertio, ut ostendat, Spem quoque hic aliquem habere locum, his utitur Augustini ex eodem libro verbis: Quidquid narras, ita narra, ut ille, cui loqueris, audiendo credat, credendo speret, sperando amet.* Prætermittis tribus intermediis Virtutibus, ad quarum commendationem nihil ex Augustino habuit in promptu Bellarminus, sequitur ultima, de qua dicit Augustinum scripsisse librum, videlicet de *Fide & Operibus*, in quo refellat errorem quorundam, qui docebant, admittendos esse homines ad Baptismum, etiam si vitam & mores emendare non vellent. Hactenus de primo argumento principali contra Fidem solam ex Augustino.

Secundum sequitur, quo ex Evangelicorum doctrinâ deducere laborat, Fidem justificare cæteris Virtutibus tam præsentibus, quam absentibus, ubi inter alia hæc habet: Si Fides sola justificat, quia *relativè* justificat, non potest in animo hominis esse, quin simul in eodem sit etiam Justitia. At, ita subsumit Bellarminus, sine Dilectione non potest esse Justitia, quoniam, *qui non diligit, manet in morte*, 1. Joh. 2. Et ex Augustino in libro de Natura & Gratia, *inchoata charitas inchoata est Justitia, & perfecta Charitas perfecta est Justitia.* Igitur, sic claudit argumentum, fieri non potest, ut Fides à Dilectione sejuncta justificet; ac per hoc non ipsa justificat sola, quoniam si justificaret sola, etiam ab omnibus aliis Virtutibus sejuncta justificaret. Hæc inter Bellarminus incidit in eam Quæstionem controversam. *An Fides vera possit reipsa à Dilectione aliisque Virtutibus separari*, quam adfirmando contra Evangelicos defendere sequentibus studet argumentis. *Primum* inde desumitur, quod de Principibus Judæorum scripsit Apostolus Johannes, *multos ex illis credidisse in Christum, sed non confessos esse, ideo, quia magis dilexerint gloriam hominum, quam Dei*, in quæ verba duplicem Augustini Commentarium adfert. Prior ita habet: *Videte, quemadmodum notaverit Evangelista, & improbaverit quosdam, quos tamen in eum credidisse dixit; qui in hoc ingressu Fidei, si proficerent, amorem quoque Gloriæ humanæ proficiendo superarent.* Bellarminus addit loco Glossæ, Quod si Fides ista poterat proficere, & amorem humanæ Gloriæ proficiendo superare, certe vera Fides erat; eadem enim est Fides incipiens, proficiens & perfecta, sed non semper æquè magna. Alioquin si Fides, cum proficit, non est eadem, quæ erat antea, non illa profecit, sed aliâ nascente defecit ipsa. Posterior Augustini Commentarius, super hæc Johannis verba à Bellarmino sequentibus producit tur verbis: *Quidam crediderunt prædestinati in vitam æternam, quidam verò non crediderunt. Eorum autem, qui crediderunt, alii usque ad eò confitebantur, ut acceptis palmarum ramis occurrerent venienti, in eadem laudis confessione lætantes; alii verò ex Principibus confiteri non audebant, ut de Synagoga non ejicerentur.* Ubi Augustinus secundum Bellarmini observationem illis eandem tribuit Fidem, qui confitebantur Jesum manifestè, & illis, qui confiteri non audebant. Neque dubitari potest, scribit porò Bellarminus, quin Fides confitentium vera Fides in Christum fuerit; erat igitur vera & non confitentium. Sed in prioribus per Dilectionem operabatur, in posterioribus sine Dilectione otiabatur. *secundum* pro Fide verà sine Dilectione argumentum ex his Apostoli verbis nequit Bellarminus, quibus scripsit, *Si omnem habuero Fidem, ita ut Montes transferam, Charitatem autem non habuero, nihil sum.* Ad hujus testimonii vindicias utitur etiam autoritate Augustini, in Opere de Trinitate ex hoc loco docentis, *Fidem sine Charitate esse posse, prodesse non posse.* Tertium exhibet verba Jacobi, scribentis: *Quid proderit, Fratres mei, si Fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid Fides poterit illum salvare?* In ejus Explicatione atque ad Institutum præsens adplicatione provocat Bellarminus etiam ad testimonia Patrum, qui semper hunc locum de Fide verà intellexerint, nominatim Augustinus in Opere de *Trinitate DEI*, & in libro de *unico Baptismo*, ex quo posteriori id etiam in sequentibus adducit.

cit Bellarminus, quod usque adeo veram & Catholicam esse Dæmonum fidem docuerit Augustinus ex parte objecti, ut eam compararet cum fide Petri, quam Dominus ipse laudavit. *Quartum* sistit inter alia hæc etiam Christi verba, quæ tanquam venturus Judex contra positos à sinistris se pronuntiarum præsignificavit, de quibus ex

c. 15.

Augustini libro de *Fide & Operibus* monet Bellarminus, non damnatum iri eos, qui ex grege Dominico erunt à sinistris, nisi propter Opera mala, non autem propter *carentiam Fidei*. Quintum argumentatur ex propria Fidei & Charitatis ratione, circa cujus il-

Præf. in
Psal. 31.

lustrationem adducit etiam Lutheri ex Præfatione in Epistolam ad Romanos verba, quibus Fidem dixit Igni similem, *qui si non luceat & ardeat, non sit Ignis, ita Fidem esse rem vivam, actuosam, efficacem, quæ semper necessario operetur*; sed addit Bellarminus, Ignis Similitudinem in Scripturis Sanctis Charitati proprie tribui, non Fidei, nisi quatenus per Charitatem vivit. Hunc in finem post alia sequens Augustini testimonium è Commentario in Psalmos adscribit: *Quod credit, Fidei est; quod operatur, Charitatis est*. Et ibidem, *Dilectio vacare non potest, nisi & mali nihil operetur, & quid quid potest boni operetur*. His argumentis subjungit consensum Patrum, & iterum Augustini præcipue, tria ex Eo testimonia contra Evangelicos proferens in medium, primum ex Opere de Trinitate, quod paulò ante etiam adduxit; secundum è Com-

Tract. 10.

mentario in Epistolam Johannis, ex quo hæc Lectori exhibuit: *Iam credit aliquis in Christo, sed odit Christum; habet confessionem Fidei in timore pænæ, non in amore Coronæ. Adde huic Fidei dilectionem, ut fiat Fides, qualem dicit Apostolus, quæ per Dilectionem operatur*. Tertium denique est ex Opere de Spiritu & Litera: *Vnde est Dilectio, id est,*

cap. 32.

Charitas, per quam Fides operatur, nisi unde illam Fides ipsa impetravit? Bellarminus subjungit, *Quod si Fides impetrat Charitatem, certe prior est Charitate, & antequam impetret illam, sine illa manet*. Ablegat porrò Lectorem ad Commentarium Augustini in Johannem & Opus de *Agone Christiano*, non alia de causâ, quam quia utrobique putavit aliqua legi Instituto præsentia inservientia. Tandem ad argumenta Evangelicorum pro Fidei & Charitatis conjunctione conatur respondere Bellarminus, Augustini mentione solum ad *quartam* objectionem factâ, ubi ad verba Johannis,

1. Epist. 5.

omnis, qui credit, quoniam Iesus est Christus, ex Deo natus est, ex Augustini Commentario responder, loqui Apostolum de Fide formatâ, quæ per Dilectionem operatur.

Nunc tertium succedit argumentum Bellarmini principale contra solitudinem Fidei in actu Justificationis ex parte hominis, quod procedit à remotione caularum, quæ possunt reddi, cur Fides sola justificet, ubi trium quidem facit mentionem, sed ad primam modò atque tertiam Augustini utitur autoritate. Primam dicit niti expresso DEI Verbo, secundum Evangelicorum Sententiam, & quidem juxta Versi-

Rom. 3.

onem Lutheri, qui classicum Pauli locum huc quem maxime pertinentem fallaciter per insertionem voculæ *Sola* corruerit, & super eadem admonitus corrigere noluerit. Et quamvis alii respondere soleant, non quidem illam vocem expressè legi in Scripturâ, rem tamen ipsam exhiberi, quæ significetur illâ voce, & quidem loco eodem, ubi Paulus scribit, *Arbitramur hominem justificari per Fidem sine Operibus Legis*, & ibidem, *Justificati gratis per Gratiam ipsius*, cum idem sit, justificari gratis, & sine Operibus Legis, idem verò per Fidem sine Operibus Legis, & per solam Fidem; Bellarminus tamen ad utrumque respondet ex Augustino.

cap. 7.

Ad prius quidem de phrasi sine Operibus, ex Libro de Prædestinatione Sanctorum, in quo docet, *Fidem non distingui ab Operibus, quasi ipsa non sit Opus, sed quoniam ipsa est Opus Gratia DEI factum, vel primum est opus, unde nascuntur cætera*, addens, *sic distingui Fidem ab Opere, quomodo in libris Regum distinguitur Iuda ab Israel, quamvis etiam Iuda sit Israel*. Ad posterius autem ex Epistola post centesimam sexta, ubi hæc leguntur: *Non dicat, si per Fidem, quomodo gratis? responderetur enim, Quid habes, quod non accepisti &c.* Tertiam porrò rationem, quam Evangelicos ex naturâ ipsius Fidei deducere scribit Bellarminus, ita retorquendo eludere latagit: Est, adprehendatur aliquo modo Justificatio per Fidem, certe non ita adprehenditur, ut re ipsâ jam habeatur & inhæreat, sed solum, ut sit in Mente per modum objecti actione Intellectus aut Voluntatis adprehensi. At, ita sublimis, hoc modo adprehendunt etiam Amor & Gaudium, ut scribit Augustinus in Opere Confessionum de Victorino loquens: *Volebant eum omnes rapere in Cor suum, & rapiebant amando & gaudendo. He rapientium manus erunt*. Itaque, sic concludit, si Fides

lib. 8. c. 2.

justi-

justificat, quia Justitiam adprehendit, dum credo aut confido, me justum esse propter Christum, ipsa etiam Charitas justificat, dum diligo & gaudeo, me justum esse propter Christum. Et revera si per hujusmodi adprehensionem justificaremur, id tribui deberet maximè Charitati, quæ omnia quantumvis aliena facit esse nostra; amant enim omnia sunt communia.

Accedat *quartum* principale argumentum, quod Bellarminus deducit ab ipso Fidei valore & pretio, ut ostendat contra Evangelicos, eam non justificare tantum *relative*, sed per modum causæ, dignitatis & meriti, idque tribus argumentis specialibus, quæ singula Augustinum vocant testem. *Primum* ex iis collectum est locis, quæ in Epistolis Pauli ad Romanos, Galatas, Ephesos de hac eadem Quæstione leguntur, ubi particula *Per & Ex* occurrit, quibus hoc demonstrari putat, Augustino etiam in testimonium citato, cujus Præfatio in Psalmum trigésimum & primum hæc habere dicitur: *Propterea hæc tibi dixi, ô homo, quia ex Operibus non justificatur aliquis, ne quasi de Operibus tuis presumere videreris, & merito tuorum Operum te gratiam Fidei accepisse.* Addit Commentarium Ejus in Pauli Epistolam ad Galatas, ubi eadem legantur aut his similia. *Secundum* ea exhibere dicit loca, quæ testantur, *Fidem esse initium Justitiæ*, ac per hoc esse causam formalem inchoatam Justificationis. (NB. In *Recognitione* super hunc locum Bellarminus ita scribit: Hoc loco attentè considerandum est, longè aliter Fidem esse initium Justificationis ac Justitiam imperfectam & inchoatam, quam Augustinus dicat, Charitatem imperfectam & inchoatam esse imperfectam inchoatamque Justitiam. Charitatem enim veram & absolutè formalis Justitia est, & idè qui vel unum gradum veræ Charitatis habet, absolutè justus est, & vivit vitâ Gratiæ. At Fides ita inchoata & imperfecta est Justitia, ut neque ipsa possit absolutè dici Justitia; nec omnem habet fidem, & Montes etiam transferat, si Charitatem non habeat, justus dicatur aut vivus, qui enim non diligit, manet in morte. Itaque imperfecta Charitas est imperfecta Justitia, quo modo puer est homo imperfectus, qui tamen verè, absolutè & simpliciter est homo. Fides autem est imperfecta Justitia, quomodo Embryo nondum animatus est homo inchoatus & imperfectus, qui absolutè & simpliciter non est homo, quâ similitudine utitur Augustinus in Opere ad *Simplicium*. Conferantur huc, quæ suprâ ad primide Gratiæ libri caput sextum ex eadem recognitione sunt adducta.) Ad hujus rei probationem ubi inter alia laudavit omnibus notum Pauli de Fundamento testimonium, Christo nimirum, *super quod non modo Aurum & argentum, lapidesque pretiosi, sed etiam ligna, fœnum, stipula super edificantur*, addidit, Augustinum per fundamentum in libro de *Fide & Operibus*, & alibi passim, intelligere Fidem in Christum. Subjungit tria postmodum alia ex Augustino testimonia, quibus idem se obtinere posse putat. *Primum* ex Opere Sermonum de Verbis Apostoli, à *fide incipit homo, sed quia & Demones credunt, necesse est addere Spem & Charitatem*. *Secundum* ex Opere eodem, *Domus DEI credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur*. *Tertium* ex sæpè citatâ Præfatione in Psalmum trigésimum & primum. *Magnum Opus, sed ex Fide. Laudo super edificationem Operis, sed video fundamentum Fidei, laudo fructum Operis boni, sed in Fide agnosco radicem*. Denique ad argumentum speciale tertium, quod etiam habet pro potissimo, delatum ab iis locis, quæ docent, *per Fidem impetrari Remissionem Peccatorum*, addit, Augustinum constanter pluribus in locis docere, *Fidem impetrare & mereri Remissionem Peccatorum & Justificationem*, diversis decem testimoniis in medium productis. Et primò quidem dicit, Eum in Opere retractationum adprobare, quod alicubi scripserat, *Non Opera, sed Fides inchoat Meritum*. Secundò in Epistolâ post centesimam quintâ, *Nec ipsa Peccatorum Remissio sine aliquo est merito, si Fides hanc impetrat, neque enim nullum est Fidei meritum, quâ ille dicebat, Deus propitius esto mihi peccatori, & descendit justificatus merito fidelis humiliatus, quoniam qui se humiliat, exaltabitur*. Tertio ex Epistolâ proximè sequenti, *Si quis dixerit, quod Gratiam benè operandi Fides mereatur, negare non possumus, imò verè gratissimè confitemur*. Bellarminus glossatur, Augustinum hoc loco per Gratiam benè operandi intelligere *Justificationem*, quia, ut sæpè repetit Ipse, *Opera bona accedunt justificatio, non præcedunt justificandum*. Quarto ex Epistolâ post centesimam quadragésimâ & quartâ, *Lex adducit ad Fidem, Fides impetrat Spiritum largiorem, diffundit Spiritum Charitatem, Charitas implet Legem*. Quintò ex Libro de Spiritu & Literâ, *Quod factorum Lex minando impetrat, hoc Fidei Lex credendo impetrat*. Sextò ex eodè, *Per Legem cognitio peccati, per Fidè im-*

De Nat.
& Grat.
cap. ult.

1. Joh. 3.

lib. I.
Quæst. 2.

ci. 16.

Serm. 16.
& 22.

1. i. c. 23.

c. 13.
& 30.

itatis

iratio Gratia contra peccatum, per Gratiam anime sanatio. Septimò ex Libro de Fide
 & Operibus, Violentiâ Fidei Spiritus Sanctus impetratur, per quem diffusa Charitate in
 cordibus nostris Lex non timore pœnæ, sed amore Iustitiæ completur. Octavò ex Opere
 contra adversarium Legis & Prophetarum, In Novo Testamento Fides impetrat Charita-
 tem. Nonò ex Opere de Prædestinatione Sanctorum, Ex Fide ideo dicit Apostolus ju-
 stificari hominem, non ex Operibus, quia ipsa prima datur, ex qua impetrentur cætera, que
 proprie nuncupantur Opera, in quibus justè vivitur. Decimò denique ex Opere de
 Gratia & libero arbitrio, Fides & non petita conceditur, ut ei petenti alia concedantur. Bel-
 larminus imponit colophonem verbis sequentibus: HABEMUS IGITUR ex Augu-
 stino non semel aut iterum, sed sæpè ac sæpius repetendum, Fidem impetrare Iusti-
 ficationem, Remissionem Peccatorum, Gratiam benè operandi, ac per hoc Iusti-
 ficare per modum dispositionis ac Meriti, non per nudam relationem, quâ Iustificatio-
 nem aspiciat vel recipiat.

Post hæc adgreditur argumenta Evangelicorum, ad quæ prolixissimè respon-
 det, & quidem ad primum ab illis Scripturæ testimoniis desumptum, quæ hominem si-
 ne Operibus docent justificari, tria notat, primò, quod Chemnitius & alii, uti scribit,
 Sectarii per Legem factorum intelligunt Legem, quæ requirit Opera, per Legem Fi-
 dei, quæ requirit Fidem, quam explicationem dicit refellere Augustinum, tum Levè
 alibi, tum præcipuè in Opere de Spiritu & Literâ, ubi demonstrat, Legem Evangeli-
 cam, quæ Fidem maximè requirit, requirere etiam Opera, & omnium mandato-
 rum ac totius Decalogi observationem, & contra demonstrari posse, Legem Moisis,
 quæ maximè requirit Opera, etiam requirere Fidem. Secundo notat Bellarminus,
 Iustitiam Legis & Iustitiam in Lege sic distingui debere, ut per Iustitiam Legis intel-
 ligantur Opera iusta, quæ Lex præscribit facienda, per Iustitiam ex Lege, live in Le-
 ge autem Opera illa, quæ homines faciunt sine Gratia Fidei, sola cognitione Legis ad-
 juti; neque illam, sed hanc ab Apostolo rejici tanquam inutilem, hoc etiam Augu-
 stini testimonio ex Opere contra duas Pelagianorum Epistolas munitus: Putant se
 arbitrii sui viribus implere Legem jubentem, & istâ implicati Superbia ad Gratiam non con-
 vertuntur juvantem; ac per hoc miro quodam modo, sed tamen vero, Iustitiam Legis non
 implet Iustitia, quæ in Lege vel ex Lege est, sed quæ est in Spiritu Gratia; Iustitia quippe Le-
 gis impletur in eis, sicut scriptum est, qui non secundum carnem ambulat, sed secundum
 Spiritum. secundum Iustitiam verò, quæ in Lege est, se fuisse sine querelâ in carne, non in
 Spiritu, dicit Apostolus; & Iustitiam, quæ ex Lege est, suam fuisse dicit, non DEI. Intelli-
 gendum est igitur, Iustitiam Legis non impleri secundum Iustitiam, quæ in Lege, vel ex Lege
 est, id est, secundum Iustitiam hominis, sed secundum Iustitiam, quæ est in Spiritu Gratia.
 Quod planius & brevius ita potest dici, Iustitiam Legis DEI non impleri, cum Lex jubet, &
 homo quasi suis facit viribus, sed cum Spiritus adjuvat, & hominis non libera, sed Gratia
 DEI liberata Voluntas facit. Remittit quoque Bellarminus Lectorem ad Opus de
 Gratia & libero arbitrio, ubi Augustinum hæc de re iterum copiosè dicit disputare, vi-
 delicet contra Evangelicos. Tertio notat, Evangelicos existimare, per Opera, quæ
 Paulus excludit à Justificatione, omnia omninò intelligi Opera live ante, live post Fi-
 dem facta, imò ipsam Fidem etiam, si ut Opus consideretur; at absurdissimam hanc
 esse Sententiam, & ab ignorantia Scripturæ profectam, Augustinum docere dicit in
 citato proximè libro de Gratia & libero arbitrio, hisce verbis: Homines non intelli-
 gentes, quod ait ipse Paulus, Arbitramur hominem justificari &c. putaverunt Eum dice-
 re, sufficere homini fidem, etiamsi male vivat, & bona non habeat Opera; quod absi ut sen-
 tiret Vias electionis. Et mox adungere monet Eum, non excludi Opera, quæ sunt ex
 Fide &c. Dumque negare non potuit, nonnullos è Romano Catholicis docere, per
 Opera, quæ Paulus excludit à Justificatione, intelligi observationem Ceremoniarum
 legalium, addidit tamen, Augustini constantem & sine dubitatione verissimam esse
 Sententiam, per Opera, quæ Fidei opponuntur & à Justificatione excluduntur, intelli-
 gi Opera, quæ præcedunt Fidem, quæque solis viribus liberi arbitrii fiunt, citatis ex O-
 pere de Gratia & libero arbitrio, item de Prædestinatione Sanctorum, ut & Præfatione in
 Psalmum trigésimum & primum locis, quorum hactenus non semel mentio fuit inje-
 cta. In specie autem ad testimonium Pauli ex Epistolâ ad Romanos capite tertio hoc
 Augustinum in Opere de Gratia & libero arbitrio observare monet Bellarminus, quod
 cum dixisset, non intelligere Apostolum eos, qui dicunt, solam Fidem sufficere ad
 Justifi-

Justificationem, causam reddiderit, cur dictum sit, hominem justificari per Fidem sine Operibus, quia (videlicet) & ipsa bona Opera nobis ex DEO sunt, à quo nobis & Fides & Dilectio est. Et in Libro de Prædestinatione Sanctorum notare Augustinum, idem ^{cap. 7.} per Fidem justificari hominem dicere Apostolum, non ex Operibus, quia ipsa prima datur, ex qua impetrentur cætera. Ad testimonium ex Epistolâ ad Galatas capite secundo scribit Bellarminus & observat respondens, in illâ Pauli Epistolâ duplicem tractari Quæstionem, unam specialem, an Ceremoniæ legales pertineant ad Christianos, ita ut sine illis esse non possint salvi; alteram generalem, an per Legem & vires naturæ possit contingere Justificatio sine Gratia & Fide JESU CHRISTI? Ad utramque Apostolum respondere hic negativè dicit Bellarminus, de suo addens sequentia: Si Lex & Natura sufficiunt ad justificandum, quid opus fuit, ut CHRISTUS moriendo peccatum damnaret de peccato, ut Justificatio Legis impleretur in nobis; & si Lex & Natura sufficiunt ad Justitiam, sufficiunt etiam ad hæreditatem, non enim injustus est DEUS, ut justos fraudet coronâ Justitiæ, uti loquitur Augustinus in libro de Naturâ & Gratia.

Ad secundum pro Fidei solitudine argumentum non nisi ea repetit Augustini ^{cap. 2.} testimonia Bellarminus, quæ jam sæpius non absque Lectoris fastidio obrufit, quibus Fidem dixit *initium & radicem justificationis* esse, quibus iteratò exscribendis superfluum impendere laborem Opus non est. Quod verò testimonium ex capite primo Epistolæ ad Romanos adinet, quo Paulus docuit, *revelari Justitiam DEI ex Fide in Fidem*, monet quidem Bellarminus, multis illud modis exponi posse, nec necessariò admitti debere, Fidem solam esse principium finemque Justitiæ, nominatim verò Augustinum in Opere de Spiritu & Literâ exponere, ex *Fide adnuntiantium Evangelium in Fidem Evangelio Obedientium*, alios, præteritis pluribus, expli- ^{cap. 11.} care tamen ex *Fide imperfectâ*, in *Fidem perfectam & Charitate formatam*, quam Expositionem dicit confirmari similibus Scripturæ phrasibus, Sententiamque Pauli esse, in Evangelio revelari Justitiam DEI, quæ incipiat à Fide inchoatâ, & perduçatur ad Fidem Charitate perfectam atque formatam.

In responsione ad tertium pro Fide solâ argumentum ex Augustini autoritate prolixior est Bellarminus, cujus nunc premimus vestigia. Nititur hoc illis Scripturæ testimoniis, quibus homo dicitur *gratis* justificari. Post adlegatum duplicem modum, quibus particula *Gratis* potest accipi, porrò scribit Bellarminus, Non sequitur, hominem, qui justificatur gratis, justificari solâ Fide. Nam sicut Justificatio gratuita non excludit Fidem, quia Fides est ex Gratia, ita non excludit Pœnitentiam & Dilectionem, & Opera Pœnitentiæ & Dilectionis, quoniam ista etiam omnia sunt ex gratiâ. Et hæc ratione explicat Augustinus particulam *Gratis*, ubique hæc de re scribit. Nam in Epistolâ post centesimam quintâ postquam dixerat, *Nec ipsa Remissio Peccatorum sine aliquo est merito, si Fides hanc impetrat, neque enim nullum est Fidei meritum*; continuò explicat, quomodo hoc Meritum non pugnet cum gratiâ Justificatione, & ait: *Restat igitur, ut ipsam Fidem, undè omnis Justitia sumit initium, non humano, quo isti extolluntur, tribuamus arbitrio, nec ullis precedentibus Meritis, quoniam inde incipiunt bona, quæcumque sunt Merita; sed gratuitum DEI donum esse fateamur, si Gratiam veram, id est, sine Meritis cogitamus.* Et in Epistola sequente: *Non dicat sibi si ex fide, quomodo gratis? Quod enim fides meretur, cur non potius redditur, quam donatur? Non dicat ista fidelis homo, quia cum dixerit, Ut merear Justificationem, habeo Fidem respondetur ei, quid habes, quod non accepisti? Cum ergò Fides impetrat Justificationem, non Gratiam, aliquid meriti præcedit humani, sed ipsa Gratia meretur augeri, ut aucta mereatur & perfici.* Huic ex Augustino solutioni, dicit Bellarminus, non *Chementium* modò, sed *Dominicum à Soto* etiam aliqua objicere; quibus addi possit testimonium Augustini ex Præfatione in Psalmum trigessimum & primum, scribentis, *Nihil boni fecisti, & datur tibi Remissio Peccatorum.* Quin & idem habere Eum in Psalmum centesimum & decimum, alibique. Imò in Epistolâ post centesimam quintâ Eum adfirmare, *Justitiam in Scripturis Sacris nunquam vocari Mercedem, sed semper Gratiam*; indeque Eum colligere, *Justitiæ deberi mercedem, sed ipsam Justitiam semper gratis dari.* In Responsione contra *Dominicum à Soto* & alios, quos

vocat

vocat Catholicos, monet Bellarminus, *Questionem* videri esse ferè de solo nomine *Meriti*, cum alioquin conveniat inter omnes Catholicos, requiri Dispositiones, & non solà Fide homines justificari. Addit, nos autem intelligere non possumus, cur non sit hoc tempore utendum nomine *Meriti*, præsertim cum additione illà, *de congruo*, cum agitur de Operibus, quæ fiunt ex Gratia præveniente. Et si nulla esset alia ratio, autoritas omnium Patrum, & præsertim Augustini, omninò sufficere nobis deberet. Nam si quo tempore Pelagiani humana extollebant Merita, Augustinus Gratia Defensor præcipuus adpellare Merita non dubitavit Opera, quæ nalcuntur ex Fide; quanto magis hoc tempore, quo Lutherani omnia è medio tollunt Merita, deberent Catholici eadem nominare Merita? Huic responso quatuor ex autoritate Augustini, Duce, ut videtur, *Dominico à Soto* opponit, singulis adponens suam Crisin & censuram.

lib. I.
cap. 23.

Prima objectio hæc est Augustinum videri illam retractasse Sententiam, *Fides meretur Remissionem Peccatorum*, quando illam retractavit a Epistolâ, *initium Fidei est ex nobis*. Bellarminus respondet, Non est ita; nam in Epistolis post centesimam quintâ & sextâ docet Augustinus, *Fidem mereri Justificationem*, & tamen in his Epistolis summâ contentione affirmat, *initium Fidei non esse ex nobis*, & in ipso hoc Retractationum loco, ubi illam de initio Fidei ex nobis retractat Sententiam, scribit verissimè dictum esse, *Fides inchoat Meritum*. Secunda Objectio, Augustinum loqui de Merito Fidei formatæ, quo meremur Justificationem, id est, Incrementum Justitiæ; non de merito fidei informis, quo meremur

Epist. 105
1. c. 17.
Epist.
106.
Tract. 44
in Joh.

Remissionem Peccatorum. *Bellarminus respondet*, Neque hoc est verum; nam loquitur apertè de Remissione Peccatorum, scribens: *Neque ipsa Remissio Peccatorum sine merito est, si Fides hanc impetrat*. Et in Opere contra adversarium Legis & Prophetarum, *Fides impetrat Charitatem*. Iterum alibi, *Fides meretur Gratiam bene operandi*. Porro, *Hæc Confessio meruit Justificationem*. Bellarminus addit, Augustinus igitur de Fide loquitur, quæ præcedit Charitatem & Remissionem Peccatorum, & illi meritum impetrationis adtribuit. *Tertia* Objectio, Augustinum, cum dicit, *Fidem mereri Justificationem*, intelligere, quod Fides ostendat, à quo petendum sit auxilium, undè Justificatio, & post eam acquirantur Merita. *Bellarminus respondet*, Si id esset mereri Justificationem, posset etiam Verbum DEI, & Concionatores, & ipse DEUS dici nobis mereri Justificationem. Deindè explicat Augustinus, quomodo Fides mereatur, cum dicit, eam impetrare Remissionem Peccatorum. Ipsum denique Augustinum & omnes reliquos Patres scribit non solùm Fidei, sed etiam Dilectioni & Penitentia meriti Justificationis tribuere; Dilectionem verò & Penitentiam non ostendere, à quo petendum sit auxilium. *Quarta* tandem objectio, Augustinum improprie loqui de Merito, nullam proindè causam esse, cur Eum hæc in parte velimus imitari. *Bellarminus respondet*, Si semel tantum aut iterum Vox hæc uni excidisset Augustino, fortasè tolerari posset ista responsio. At, quod omnes Patres, quorum plerique Linguam Latinam ab ipsâ didicerant Nutrice, in re tam gravi perpetuò loquantur improprie, incredibile videtur. Et post laudatos *Tertullianum, Cyprianum, Ambrosium, Hieronymum* ad aliqua etiam ex Augustino loca provocat. In sequente uberiori contra *Dominicum à Soto* Disputatione, dum inter

1. Epist. 1.

alia dictum Johannis etiam producit Bellarminus, *Si confiteamur peccata nostra, fidelis & justus est DEUS, ut remittat nobis peccata*, monet, sciendum esse, Apostolum loqui de Remissione venialium, quæ justo DEI judicio bonis justorum Meritis reddantur, ita docente Augustino in libro *de Correctione & Gratia*. Porro inquit post aliqua Bellarminus, negamus, nullam esse in Merito de congruo dignitatem, contra *Dominicum à Soto*. Nam cum sit Opus illud à DEO, & sit Opus Gratia & Donum Spiritus Sancti, quo pacto fieri potest, ut nullam habeat dignitatem? Illud quidem est verum, totam ejus Operis dignitatem pendere à Gratia, & ideo non tam esse homi-

Epist. 106

nem, qui meretur, quàm ipsam Gratiam, quæ, ut loquitur Augustinus, *meretur augeri, ut aucta mereatur & perfici*. Neque tamen hinc jam licebit colligere, hoc esse Meritum de condigno. Nam etiam si est à DEO, tamen non est à DEO intus inhabitante per Gratiam Justificantem, sed extrinsecus excitante & adjuvante, ut idem docet Augustinus. Ad illud autem Augustini ex Præfatione in Psalmum trigesimum

Epist. 105

& primum, *Nihil boni fecisti, datur tibi remissio peccatorum, attenduntur opera tua, & omnia inveniuntur mala*, respondet Bellarminus, Eum per Remissionem intelligere totam

vocat Catholicos, monet Bellarminus, Quæstionem videri esse ferè de solo nomine *Meriti*, cum alioquin conveniat inter omnes Catholicos, requiri Dispositiones, & non solâ Fide homines justificari. Addit, nos autem intelligere non possumus, cur non sit hoc tempore utendum nomine *Meriti*, præsertim cum additione illa, *de congruo*, cum agitur de operibus, quæ fiunt ex Gratia proveniente. Et si nulla esset alia ratio, autoritas omnium Patrum, & præsertim Augustini, omninò sufficere nobis deberet. Nam si quo tempore Pelagiani humana extollebant Merita, Augustinus Gratia Defensor præcipuus appellare Merita non dubitavit opera, quæ nascuntur ex Fide; quanto magis hoc tempore, quo Lutherani omnia è medio tollunt Merita, deberent Catholici eadem nominare Merita? Huic Responso quatuor ex autoritate Augustini, duce, ut videtur, *Dominico à Soto* opponit, singulis adponens suam crisi & censuram. *Prima* objectio hæc est, Augustinum videri illam retractasse sententiam, *Fides meretur remissionem peccatorum*, quando illam retractavit aliam, *initium Fidei est ex nobis*. Bellarminus respondet, Non est ita; nam in Epistolis post centesimam quintâ & sextâ docet Augustinus, *Fidem mereri justificationem*, & tamen in his Epistolis summa contentione adfirmat, *initium Fidei non esse ex nobis*, & in ipso hoc retractionum loco, ubi illam de initio Fidei ex nobis retractat sententiam, scribit verissimè dictum esse, *Fides inchoat Meritum*. Secunda objectio, Augustinum loqui de Merito Fidei formatæ, quo meremur Justificationem, id est, incrementum Justitiæ; non de merito Fidei informis, quo meremur remissionem peccatorum. *Bellarminus respondet*, Neque hoc est verum; nam loquitur apertè de remissione peccatorum, scribens: *Neque ipsa remissio peccatorum sine merito est, si Fides hanc impetrat*. Et in opere contra adversarium Legis & Prophetarum, *Fides impetrat charitatem*. Iterùm alibi, *Fides meretur gratiam bene operandi*. Porro, *Hæc Confessio meruit justificationem*. Bellarminus addit, Augustinus igitur de Fide loquitur, quæ præcedit charitatem & remissionem peccatorum, & illi meritum impetrationis adtribuit. *Tertia* objectio, Augustinum, cum dicit, *Fidem mereri justificationem*, intelligere, quòd Fides ostendat, à quo petendum sit auxilium, undè Justificatio, & post eam adquirantur Merita. *Bellarminus respondet*, Si id esset mereri justificationem, posset etiâ Verbum Dei, & Concionatores, & ipse Deus dici nobis mereri justificationem. Deindè explicat Augustinus, quomodo Fides mereatur, cum dicit, eam impetrare Remissionem peccatorum. Ipsum denique Augustinum & omnes reliquos Patres scribit, non solùm Fidei, sed etiam Dilectioni & Pœnitentiæ meritum justificationis tribuere; Dilectionem verò & Pœnitentiam non ostendere, à quo petendum sit auxilium. *Quarta* tandem objectio, Augustinum improprie loqui de Merito, nullam proindè causam esse, cur Eum hæc in parte velimus imitari. *Bellarminus respondet*, si semel tantùm aut iterùm vox hæc uni excidisset Augustino, fortasè tolerari posset ista responsio. At, quod omnes Patres, quorum plerique linguam Latinam ab ipsâ didicerant Nutrice, in re tam gravi perpetuò loquantur improprie, incredibile videtur. Et post laudatos *Tertullianum, Cyprianum, Ambrosium, Hieronymum*, ad aliqua etiam ex Augustino loca provocat. In sequente uberiori contra *Dominicum à Soto* Disputatione, dum inter alia dictum Johannis etiam producit Bellarminus, *Si confiteamur peccata nostra, fidelis & justus est Deus, ut remittat nobis peccata*, monet, sciendum esse, Apostolum loqui de remissione venialium, quæ justo Dei judicio bonis justorum Meritis, reddatur, ita docente Augustino in libro de *Correptione & Gratia*. Porro inquit post aliqua Bellarminus, negamus, nullam esse in Merito de congruo dignitatem, contra *Dominicum à Soto*. Nam cum sit opus illud à Deo, & sit opus Gratia & donum Spiritus Sancti, quo pacto fieri potest, ut nullam habeat dignitatem? Illud quidem est verum, totam ejus operis dignitatem pendere à Gratia, & ideò non tam esse hominem, qui meretur, quam ipsam Gratiam, quæ, uti loquitur Augustinus, *meretur augeri, ut acta mereatur & perfici*. Neque tamen hinc jam licebit colligere, hoc esse Meritum de condigno. Nam etiam si est à Deo, tamen non est à Deo intus inhabitante per Gratiam justificantem, sed extrinsecus excitante & adjuvante, ut idem docet Augustinus. Ad illud autem Augustini ex Præfatione in Psalmum trigessimum & primum, *Nihil boni fecisti, & datur tibi remissio peccatorum, attenduntur opera tua, & omnia inveniuntur mala*, respondet Bellarminus, Eum per remissionem intelligere totam Justificationem ab initio primæ Dispositionis, quæ Fides est, usque ad plenam reconciliationem. Tunc enim Deus incipit remittere peccata, cum inspirat Fidem, quæ cætera orando impetrat dona. Itaque illud, *Nihil boni fecisti*, intelligitur ante Fidem, sicut etiam id, quod sequitur, *attenduntur opera tua*; neque enim mala dici possunt opera, quæ fiunt ex Fide. Id ita esse, patet è præcedentibus & sequentibus; sic enim in præ-

Dddd

denti-

dentibus ait: *Quomodo justificatur homo ex Fide sine operibus? Apostolus ipse respondet, Propterea hoc dixi tibi, ô homo, ne quasi de operibus tuis presumere videreris, & operum merito te Gratiâ accepisse. Noli ergo presumere de operibus tuis ante Fidem, noveris, quia peccatorem te Fides invenit &c.* In sequentibus etiam ait, *Deus tibi debebat vindictam, dat indulgentiam. Incipis ergo esse in Fide per indulgentiam. Jam illa Fides assumi à spe & dilectione incipit operari bene, &c.* Vides, inquit Bellarminus, quomodo peccatorum remissio, id est, Indulgentia, tunc incipit, cum incipit Fides. Proinde ante remissionem peccatorum, quæ inchoatur in Fide, nihil boni fecimus, quia ante Fidem nihil boni potest fieri; ex Fide enim incipiunt, quæcunque sunt bona. In eundem sensum scribit Augustinus, *Epist. 105. Justitiam nunquam vocari Mercedem, quoniam accipit Justitiam pro toto Justificationis beneficio, ita ut in ea includatur Fides etiam, quæ sola non potest esse Merces, cum cum nulla omnino Merita, neque de congruo, neque de condigno præcedant; cætera dona omnia & Gratiæ & Mercedis nomine possunt appellari.*

Quartum nunc sequitur pro Fide solâ argumentum, ex iis defumptum Scripturæ testimoniis, quæ docent, *omnes, qui credunt justificari & salvari.* Bellarminus triplici modo respondet, ad primum & tertium usus auctoritate Augustini. De primo sic scribit, *Particula omnis potest in primis rectè exponi negativè, ut sensus sit, omnis, qui credit, justificatur; id est, nemo sine Fide justificatur, quod illustrat aptissimâ similitudine Augustinus, explicans illud, Deus vult omnes salvos fieri, libro de Prædestinatione Sanctorum.* Nam si in una aliqua urbe unus tantum Grammaticæ Doctor esset, & diceretur, omnes in hac urbe Grammaticam discunt ab illo; non significaretur, omnes in ea urbe discere Grammaticam, sed neminem discere sine illo. Sic igitur omnis, qui credit, justificatur, quia nemo justificatur, nisi credat; sine Fide enim impossibile est placere Deo. De tertio hæc habet, refertur interdum particula *omnis* ad singulos credentes, & quidem *affirmativè*, sed tamen non significatur, solam sufficere Fidem, sed Fidem justificare & salvare, si non desint cætera; id est, Fidem ex parte sua semper justificare & salvare, modo addantur alia, quæ simul requiruntur. Itaque sententia Scripturæ est, singula Virtutes, de quibus alibi agitur, videlicet spem, dilectionem, orationem, obedientiam, &c. ex parte sua perducere homines ad salutem, nisi aliunde oriatur impedimentum aut defectus. Atque hoc ipsum sancti Patres docent passim, cum admonent, non sufficere Fidem solam. Indè Augustinus etiam, *Multis dicunt credo, sed Fides sine operibus non salvat.* Alia testimonia dicit se habere Bellarminus in Disputatione de *operum necessitate.* Cætera nunc prætermittuntur argumenta, quæ nullum ab Augustini auctoritate in responsione Bellarmini habent subsidium.

Restant igitur tantum illa Augustini testimonia, quæ ex Evangelicorum mente adducit Bellarminus, adque ea pro more responderet. Sunt autem hæc duo sequentia. *lib. 1. c. 21. Prius ex opere contra duas Pelagianorum Epistolas sic habet: Quamlibet Virtutis fuisse antiquos prædices justos non eos fecit salvos, nisi Fides Mediatoris.* Posterius autem ex opere *Quest. 16. re Questionum octoginta trium ita: Si quis, cum crediderit, mox de hac vita decesserit, justificatio Fides manet cum eo, nec præcedentibus bonis operibus, quia non Merito ad illam, sed Gratiâ pervenit; nec consequentibus, quia in hac vita esse non sinitur.* Bellarminus respondet ad locum priorem, Augustinum docere solum, neminem sine Fide salvari, justos proindè antiquos neque per Naturam, neque per Legem Mosis, sed per ipsam Christi fidem esse salvatos, quia ex rebus enumeratis ipsa sola vim habeat salvandi; quomodo si tres ambularent, & diceretur nobis, nullus est Doctor, nisi ille, qui ambulat medius, non intelligeremus, nullum esse in terrarum orbe Doctorem præter illum, sed non esse inter eos tres nisi unum Doctorem. Ad posteriorem dicit, Augustinum apertissime loqui de Fide vivâ & charitate perfecta atque formata, quæ sine operibus in actu esse potest, sed non in habitu; dixerat enim in verbis immediatè præcedentibus, *hominem justificari sine operibus Fidem præcedentibus, sed Fidem justificam esse Fidem, quæ per dilectionem operatur.* Addit, idem Augustinum in infinitis docere locis, *Fidem sine charitate nihil esse nisi fundamentum ædificii, & initium ac radicem justificationis.*

Haecenus contra Fidei solitudinem in articulo justificationis coram Deo Bellarminus, more iterum solito Evangelicorum sententiam minus ritè proponens, atq; sic Augustinum impertinenter ut plurimum opponens hac etiam in Disputatione. Magnum certè consensus Augustiniani cum Evangelicis argumentum est, si ea vocentur ad animum, quæ ex Indice librorum Hispanico notavi in *Vindiciis Anti-Thomisticis*, ubi hæc eadem quæstio fuit tractata. Nimirum, Evangelicorum sententia non ita crudè & nudè concipi debet, ac si qualemcunque Fidem, quocumque etiam veniat significatu, sufficere doceant ex parte hominis ad Justificationem, in sensu videlicet abstractivo & categorematico; ea solitudine, qua omni comitatu virtutum cæterarum destituatur Fides. Minimè gentium volunt illud, sed Fidem hic concipiunt in concreto ut sic dicam & sensu syncategorematico consideratam, quatenus similis est arbori frugifera, si non semper actu secundo, tamen primo. Non quasi virtutes hæc in ipso justificationis negotio adtendantur, vel quocumq; meriti respectu concurrant aut cooperentur, sed quia Fides vera, quæ à Deo in hoc actu requiritur, nunquam est sola & absque Gynecæo aliarum, ut dixi, virtutum, ut non nisi sola ab ipso meritis Deo, hominem per verbum & sacramenta, tanquam media Gratiam & meritum Christi exhibentia & obliquantia, justum faciente respiciatur. Est igitur & manet hæc propositio, *Fides sola justificat*, exclusiva non prædicati, sed subjecti, eo sensu, quo ex parte Dei sola eius Gratia, ex parte Christi solum eius meritum dicuntur justificare. Injuriam hinc facit Evangelicis Bellarminus, cum eos statuere dicit, quod omnes in universum virtutes separent à Fide justificata, quam ob rem vulgò etiam *Monopista* & *Fide solarii* vocantur, eosdemq; committit cum Augustino, quasi diversum & planè contrarium docentes; cum tamen, si utriusque partis hypotheses candidè proponantur, summus in hoc etiam Fidei capite possit ostendi, consensus, in quo nunc labore occupabimur contra Bellarminum. Et quidem ut initium fiat ab examine eorum ex Augustino testimoniorum, quibus evincere studuit, Fidem justificare, sed non solam, verum *ut initium & radicem justificationis*, ut cæteris etiam virtutibus relinquat locum, si ipsa inspiciamus loca, unde Bellarminus mutuò sum sit arma, manifestum erit, eum hic quoque antiquum obtinuisse, & quidvis è quovis sine iudicio coacervasse & collegisse. Posito enim, quod Augustinus dicat *Fidem esse initium & radicem justificationis* non sequitur tamen, id intelligi debere cum aliqua exclusione, & quasi ad medium atq; finem ejus alia concurrant aut cooperentur virtutes, utpote quod nullibi scripsit Augustinus, neq; ob receptas hypotheses scribere potuit. *Primum* certe testimonium ex Commentario ad Galatas desumptum id non dicit, præterquam, quod in paucis etiam verbis crimen falsi commisit Bellarminus, id omittens, quod ad rem ipsam pertinebat quam maximè, ut inspicienti locum fieri manifestum. *Filii*, id est, Dei, *fiunt participatione sapientia, id præparante atque præstante Mediatoris fide*, scripsit Augustinus, explicans verba Pauli, quibus omnes dixit esse *filios Dei per fidem, quia induerunt Christum quicumque in Christo baptizati sunt*. Mirum verò, Bellarminum non advertisse, aut credidisse, quod lectores curiosi id sint observaturi, Augustinum eo sensu Fidem dixisse *præparantem*, quo eam quoq; dixit *præstantem*, id videlicet, ut omnes in Baptismi Sacramento induentes Christum fiant filii Dei *participatione sapientia*. Atqui res ea, quæ ita *præparat*, ut simul etiam *præstet*, quod expediendum venit, non in principiis solum subsistere credi debet, sed ad consummationem quoque ejus omninò pertinet. Ita dum in *secundo* Augustinus dicit, *Fidem primam dari, ex qua impetrentur cætera*, tam eleganter in antecedentibus & proxime sequentibus se explicat, ut nisi dissimulasset Bellarminus per truncationem Textus, vix ausus fuisset hæc verba lectori candido proponere & propinare. Sic autem scripsit in loco, unde Bellarminus excerptis, nimirum in libro de Prædestinatione Sanctorum: *Ex fide dicit Apostolus justificari hominem, non ex operibus, quia ipsa datur prima, ex qua impetrentur cætera, quæ propriè nuncupantur opera, in quibus justè vivitur*. Si scripsisset Augustinus, *in quibus homo justificatur*, habuisset Bellarminus, quod opponeret. Dum verò scripsit, *in quibus justè vivitur*, habemus Evangelici, quod volumus. Nec omisisset hæc verba Bellarminus, nisi ea favere nobis dicente conscientia agnovisset. An verò hoc etiam ad fraudem piam vel impiam sit referendum, videant, quibus aperta veritas curæ est cordique, vel esse debet. *Tertium* quoque ex opere de Bono Perleventantiæ inter testimonia veritatis Evangelicæ debet numerari, credere enim in Christum dixit esse *initium Christiano*, non respectu cæterarum virtutum, quas Fidei comites in Justificatione adjungit Bellarminus, sed respectu Patientiæ, quam in persecutione tanquã fidei justificantis fructum docet esse necessariam, Augustinus verbis immediate

vid. Krom.
Polym.
p. 284.

sequentibus. Ubi enim dixit, *Quod est initium verius Christiano, quam credere in Christum?* Subiunxit statim: *Quis finis melior est, quam pati pro Christo?* Unde constat apertissime, quo sensu Fidem dixerit Augustinus initium Christianismi. Sed & quartum, ex opere de Spiritu & litera nobis non obest. Dum enim præmissa lege, per quam est cognitio peccati tanquam morbi, primò nominatur Fides, *per quam impetratur Gratia contra peccatum*, deinde (non oratio, quod Bellarminus vult, sed) Gratia, per quam animæ Sanatio à vitio peccati adcedit, aliis porò sequentibus, quæ Bellarminus omisit; non diversos recenser actus, qui procul à se invicem sint remoti, quod in sequentibus habet locum, sed nostrum concipiendi modum respicit, qui in eo consistit ut quemadmodum ægrotus manu & ore fiduciali à Medico accipit remedium, per quod sanatur, ita & homo in actu Justificationis per Fidem, quæ & ipsa Donum est, accipiat Gratiã animæ Sanatricem, quam insequitur secundum ordinem Augustini *libertas arbitrii*, quod supra quoque ostensum, & per eam *Iustitiã dilectio*, & tandem *legis operatio*, quæ non amplius propriè loquendo ad ipsam Justificationem, de qua hic sermo, sed potius ad sanctificationem & quotidianam Renovationem pertinent. *Quintum* ex opere sermonum de Verbis Apostoli testimonium iis non legitur verbis eo in loco, quo Bellarminus illud legi lectori voluit persuasum; quamvis si isdem ibi legeretur, nullum exinde præjudicium crearetur Evangelicorum sententiæ, explicans videlicet structuram ædificii totius Ecclesiæ, non rationem Justificationis, quæ duo iterum sunt diversissima, minimè confundenda. Et hæc de primo Bellarmini argumento contra Fidei in actu Justificationis solitudinem, ex illis Augustini testimoniis, depromto, quo Fidem dixit vel dixisse visus est *initium esse & radicem justificationis*, circa quod nunc insuper id etiam venit observandum, quod Rhetores communiter ex autoritate Demosthenis solent inculcare, *Actionem in Oratore esse primam partem*, verum non primam modò, sed & secundam, quin tertiam quoque; ut in hoc simili aliquid etiam dissimile occurrat.

vid. Mend.
Virid.
p. 686.

Sequuntur nunc ea, quæ ad ceteras Virtutes Fidei in actu Justificationis comites ex Augustino profert, paucis examinanda, ubi hoc fuerit præmonitum, ea quæ in genere de his Virtutibus sunt dictæ, in specie etiam de quavis locum habere. Inter eas eminere voluit Davidis & Salomonis, atque ad eorum imitationem Syracidis Gnomon & sententiam, quæ *timorem* dixerunt *initium sapientiæ* in cuius explicatione Bellarminus Augustinum dixit per *sapientiam* intelligere *perfectam justificationem*, per timorem verò servilem, non filialem. Quod adinet prædicatum hujus sententiæ, videlicet *sapientiam*, in Commentario Augustini super sermonem Domini in Monte repetite non potui, quod perfecta per eam intelligatur *Justificatio*. Bellarminus quidem provocat ad libri prioris *caput nonum*, sed quia Commentarius ille in meâ Editione, qua nunc utor, capitibus destituitur, prolixiorque est, quàm ut propter unum modò vocabulum inter alias occupationes evolvatur cum curâ, quo propriè sensu id scripserit Augustinus, si scripserit, indicari nunc non potest; hoc tantum repetitâ vice indicato, posse hoc etiam in suo quodam modo defendi, ut *Timor justificationis initium* dicatur, quia cognitio peccati & inde etiam pænæ peccati præcedit ex lege, antequam Fides adprehendat Gratiã ex Evangelio. Non verò sequitur inde, ut *subiectum* hujus sententiæ, videlicet *Timor*, quia dicitur *initium sapientiæ*, etiam sit & dici possit talis dispositio meritoria, quæ simul concurrat & cooperatur in actu Justificationis, sicuti Fides, hominis justificandi & justificati manus, adprehendit Gratiã Divinitus oblatam, atque Meritum Christi sibi met ipsi fiducialiter adplicat, ut potè quod neque Timori, qui ad hujus differentiam dicitur filialis, adscribendum est. Sicut enim servilis præcedit, Justificationem, quatenus ex lege dicitur agnitionem peccati & ejus pænæ oriri, ista hic filialis demum sequitur, tanquam fructus Fidei justificantis, adeoque neuter in ipso Justificationis actu potest adtendi concurrenter & cooperativè, quod ipse etiam agnovit Augustinus, utriusque differentiam ipso in loco, quem Bellarminus ex nono in Epistolam Johannis Tractatu citavit, notanter ostendens verbis sequentibus: *Torqueat cor Consuetudo peccatorum nondum facta est Justificatio*. Et post aliqua ibidem: *Aliud est timere Deum, ne mittat te in Gehennam cum Diabolo, aliud est timere Deum, ne recedat à te. Ille timor, quo times, ne in ignem mittaris cum Diabolo, nondum est castus, non enim venit ex amore Dei, sed ex timore pænæ. Cum autem times Deum, ne deserat te presentia ejus, amplectitur cum, ipso frui desideras*. Atque hunc in modum intelligenda etiam sunt verba, quæ ex opere de catechizandis rudibus adducit Bellarminus, ad Institutum præsens, ubi de negotio justificationis agitur, planè in idonea, cum ex Doctrina Augustini, ut in sequentibus

tibus docebitur, sola Fides habeat locum, nullumque Timori, præsertim servili, spatium hic possit concedi. Addantur, quæ supra ad hoc dictum dicta sunt capite post decimum septimo secundi de Pœnitentia Libri. Sed neque *Spes* etiam in hunc venit census, uti vult Bellarminus, nec Augustinus id dicit, verbis ab eodem ex eodem libro citatis, sed potius contrarium. Dum enim dicit, *hominem audiendo credere, credendo sperare, sperando amare*; Ordinem Virtutum Christianarum ab Apostolo observatum, eleganter indicavit, quâ nimirum ratione Virtutes hæ invicem respiciant & sequantur, nullo tamen habito respectu ad ipsam Justificationem, utpotè in quâ solum *credere* locum habere ex Augustino ostenditur proximè prolixius. Quæ tandem circa Propositum novæ vitæ ac observationis mandatorum Dei, tanquam Dispositionem meritoriam & Justificationis impetratoriam, ex Opere Augustini de *Fide & Operibus*, contra Baptismi profanatores activos & passivos in dando & accipiendo, profert Augustinus, scopum minime feriunt, quia cum his hominibus & *hereticis* nihil nobis est commune, qui dicunt Evangelicis; de cætero ad Canonem Augustini ab ipso met Bellarm. approbatum provocantes, quo opera verè bona & Deo grata *non præcedere, sed sequi Justificationem* dicuntur.

Nunc ut à primo Bellarmini contra Fidei solitudinem argumento progrediamur ad *secundum*, deducere id conatur ex nostris hypothesebus, sed frustra & in vanum, dum eas necit consequentias, quas Aristoteles etiam *redivivus ex orco*, quamvis Romano-Catholicus, non agnosceret, nisi quam alios docuit artem ratiocinandi, ipse dudum oblivioni tradiderit, aut Intellectum in rebus Seculi non semper malè sanum, sub Obedientia Fidei Romano-Catholicæ captivum fieri permiserit. Quàm enim sunt hæc inter se contraria, *Fidem justificare, cæteris Virtutibus tam presentibus, quàm absentibus*. Ex antecedentibus quippè constat, Evangelicos Fidem in Justificatione non dicere nudam atq; omni comitatu Virtutum cæterarum destitutam, sed hoc docere tantum, Fidem in actu Justificationis non nisi *relative vel objective* considerari, quatenus videlicet respicit Misericordiam Dei in Christo & Ejus Passione exhibitam, non tamen omninò missis in Exilium Virtutibus cæteris, quarum fructus postmodum Fides ostendit diversimodè in homine jam justificato, prout occasio & ratio Christianismi id requirit. Quàm inconsequenter præterea Bellarminus argumentatur vel potius arguitur, quod, *quia sine Dilectione non possit esse Justitia*, videlicet Legalis, *feri non possit, ut Fides à Dilectione sejuncta justificet*, cum hic non agatur de Justitia Legali, sed Evangelica, non propria & inhærente, sed alienâ, Christi nempe, & Deo sic ordinante per Fidem, non per Charitatem aut aliam Virtutem Theologicam imputatâ. Hinc Augustini etiam verba, quibus ex Libro de *Naturâ & Gratia* uti voluit Bellarminus, de quorum Sensu vero supra quoq; in ventilatione Quæstionis de *Distinctione Gratia à Charitate* dictum est, huc planè non pertinent, exhibentia distinctionem Charitatis & Justitiæ *inchoatæ (provelatæ &) perfectæ*, quæ in Justitia Christi imputatâ locum non habet. Ut alia nunc Silentio præteream plura, quæ otiosa & fastidiosa repetitione læpius inculcat Bellarminus, suis inhærens principiis pessimè coherentibus, inter ea recensendis postulata, quæ nunquam ritè probavit, nec etiam probare potuit; cuius rei exemplum præbet Quæstio, quam secundo huic argumento inferuit de *Fide*, non qualicumque, sed *verâ à Dilectione & aliis Virtutibus separandâ*, Evangelicis, imò ipsimet Veritati, & sic etiam Augustino, qui eam contra Pelagianos & quosvis sui temporis hæreticos animosissimè & constanter defendit, imò propriis etiam hypothesebus oppositam. Dum namque hætenus Fidei in negotio Justificationis comites adjunxit Dilectionem, cæterasque Virtutes, nunc aperte sibimetipsi contradicens Fidem, & quidem non qualemcumq; sed *veram*, separare aude à Dilectione ac cæteris Virtutibus; quod an cum antecedentibus possit stare, & annon unum tollat alterum, videant, quibus Leges contradictionis non sunt incognitæ. Et tamen ad hoc suum dogma erroneum, præter insignem torturam uni & alteri Scripturæ testimonio inlatam, conatus est Augustinum quoq; testem citare; quo cum fructu, sequens docebit Examen. *Primum* occupant locum verba Johannis Evangelistæ de Principibus Judæorum, quibus *Fidei ingressus* Augustino interprete adscribitur, in quâ potuissent *proficere*; unde Bellarminus per legitimam, ut existimat, consequentiam deducit, veram fuisse Fidem. Sed præter *Toletum*, quem hæc Johannis de Fide Principum Judaicorum verba de *Fide Historica* intellexisse, *Gerhardus & Hülfemannus* observarunt, *Lorinus* etiam testatur, *Pererium* in

Joh. 12.

ad Act. cap. V. Pl. 14.

dicit nihil aliud esse, nisi ipsam veram Fidem Christianam, nemo prudens non videt, quàm imprudenter hoc sit dictum; hoc ante omnia venit adtendendum, quod prædicatum apud utrumque, Paulum videlicet & Augustinum, Subjecto minus sit adæquatum, de quo hic agitur. Quid enim, an vera Fides non & nihil prodest? Hoc neque Paulo, neque Augustino unquam venit in mentem, aut venire potuit. Quia enim secundum receptam Logicorum regulam *talia sunt prædicata, qualia permittuntur esse à subjectis, & versa vice*, neque Paulum, neque Augustinum tam absurdos fuisse credendum est, ut veræ Fidei, tantis aliàs laudibus decantatæ, omnem usum, fructum, profectum & incrementum denegaverint, tanquam rem inanem eam jactantes. De Paulo res extra dubium est apud eos, qui in Scriptis Ejus non omnino sunt hospites, utpotè qui tanta hic & ibi Elogia adscripsit veræ Fidei, ut majora non potuerit. Quos Fidei scripsit Panegyricos Augustinus, prolixius hic recensere minus est necessarium. Præterquam enim, quod singularem scripsit de *Fide & Operibus* librum, plurima huc pertinentia continentem, in aliis etiam Operibus non paucis læpissimè Fidem veram ita commendat, ut sibi met ipsi in faciem contradixisse & scripsisse credi deberet, si fidem, quæ nihil prodest, pro verâ habuisset. *Concordantia*, quas antehac ex Augustino Dominicanus quidam Parisinus maximo labore collegit, plurima suppeditant hujus rei documenta. Sed & breviores, qui Operibus Augustini ut plurimum vel præmittuntur, vel subjuguntur, *Indices rerum & verborum*, sufficientia præbent testimonia; è quibus dum *Indices Purgatorii*, quæ ad confessionem Veritatis Evangelicæ videbantur pertinere, excessu iusserunt, juxta observationem supra è *Vindiciis Anti Thomisticis* repetitam, satis manifestè ostenderunt, Augustinum non à suis stare partibus. Atque ut illud ex eo etiam loco fiat certum, quem ex Opere de *Trinitate* pro se citavit Bellarminus, in iisdem *Vindiciis Anti Thomisticis* jam monui, Augustinum hic quoque totum esse nostrum, utpotè verbis à Bellarmino laudatis hæc immediate subjungentem: *Propter quod Apostolus inquit, In Christo Jesu neque Circumcisio, neque Præputium aliquid valet, sed Fides, quæ per Dilectionem operatur; sic eam discernens ab eâ fide, quæ & Dæmones credunt & contremiscunt.* Agnoscit igitur Fidem sine charitate aliam esse ab eâ, quæ per Dilectionem operatur, sed non æquè agnoscit illam ut hanc esse *veram* quin potius Fidei Dæmoniacæ dicit esse similem, de quâ tertium nunc agit Bellarmini argumentum, ut Fidem *veram* sine Charitate & cæteris Virtutibus esse posse doceat, è verbis Jacobi nemini non notis desumptum, Augustino iterùm in subsidium adsumto, & quidem duplici è scripto. *Primo* ex opere de *Civitate Dei*, ubi prolixè Jacobi verba de Fide sine Operibus committit cum verbis Pauli de salvatione *quasi per ignem*, ostendens, quomodo ea conveniant, hæc inter cæteras observatione insertâ: *Quis quis sic habet in corde Christum, ut ei (neque) temporalia & terrena, nec ea, quæ licita sunt atque concessa, præponat, fundamentum habet Christum. Si autem præponit, etsi videatur habere fidem Christi, non est tamen in eo fundamentum Christus, cui talia præponuntur, quanto magis si salutaria contempnens præcepta committat illicita, etiam non præposuisse Christum, sed postposuisse convincitur.* Verùm hæc non hypothesei Bellarminianæ, sed Evangelicorum Sententiæ interviunt, ostendentia, Fidem sine operibus videlicet bonis, è contrario cum operibus malis, videri quidem esse Fidem, scilicet *veram*, sed non esse, utpotè Veritatis fundamento destitutam. *Deindè* ex libro de *unico Baptismo*, ubi quidem comparat Sanctus Doctor Fidem vel potius Fidei Confessionem Petrinam cum dæmoniacâ, sed non alio respectu, quàm historico, qui ad Notitiam pertinet atque adfensum, de quo hic non agitur, uti sæpe notatum. Hinc post laudata Jacobi verba, quæ Fidem exhibent dæmoniacam, notantur scripsit: *Eos, qui de Deo verum credunt & malè vivunt, Dæmonibus comparavit, non tamen illud ipsum verum, quod de DEO credunt Dæmones, propter odium Dæmonum negando destruxit.* Concedit nimirum Fidei dæmonicæ Veritatem historicam, non justificam & salvificam, de quâ hic agitur. Ideo in præcedentibus etiam scripsit: *Confessio Petro fructuosa Petro, Dæmonibus perniosa.* Et iterùm: *Eadem Confessio rectos adjuvat Catholicos, perversos condemnat hæreticos.* Quæ omnia egregiè juvant Evangelicorum Sententiam. Eadem ratio est eorum, quæ ad *quartum* pro Fidei ab operibus bonis & cæteris Virtutibus separatione argumentum ex verbis Christi Judicis ad æternum damnandos secundum Augustini mentem observat Bellarminus, videlicet quod Christus eos sit increpatus, *non quia in Eum non crediderint, sed quia non fecerint*

Opera bona; dum immediatè ibi hæc sequuntur: *Nam profectò ne sibi quisquam de Fide, quæ sine operibus mortua est, æternam promittat Vitam.* Propterea omnes segregaturum se dixit gentes, quæ permixtæ eisdem utebantur pascuis, ut adpareat, eos illi dicturos, *Domine, quando Te vidimus illa & illa patientem, & non ministravimus tibi? qui in Eum crediderant, sed operari bona non curaverant, tanquam de ipsâ Fide mortuâ ad Vitam perveniretur æternam.* Binâ hic vice Pater augustus Fidem vocat mortuam, quam Bellarminus demonstrare satagit *veram*, & tamen ad Ejus consensum & auctoritatem ausus provocare. Sicuti neque melius successit negotium in quinti argumenti deductione, ubi si non aliqua pro more omisisset verba in Augustinitextu, ex quo contra Evangelicos se armavit, non potuisset aciei se committere. Pauca sunt ea, sed talia, quæ litem terminant. Leguntur autem media inter ea, quæ Bellarminus adduxit. *Opus Fidei est Dilectio*, inquit Augustinus. Paulò ante indicavit ordinem & officium Virtutum Theologicarum in homine jam justificato, cur Fides primum, Spes secundum, Charitas tertium juxta recensionem Apostolicam occupet locum, & quid quævis agat atque efficiat peculiariter; non quasi Fides justificata, & si perseverans, etiam salvifica, sit absque Spe & Charitate, quarum utraque indivulso nexu Fidei est conjunctissima, sed quia quævis suo in Christianismi initio, progressu & sine fungitur officio singulari, ut ut mutuo semper ad se invicem respectu, Fide imprimis primum, medium & ultimum, ad eòq; omnem occupante locum. Hinc etiam si dicit, *Quod credit, Fidei est; quod operatur Charitatis*, non separavit Fidem à Charitate, aut hanc ab illa, quin potius filia Matri conjungit, in proximè sequentibus scribens, *Opus Fidei est Dilectio.* Quamvis etiam subjunxit, *Dilectio vacare non potest, nisi & nihil mali operetur, & quidquid potest, boni operetur*, neque sic tamen separavit Charitatem à Fide, quia præmiis immediatè, *Opus Fidei est Dilectio.* Atque sic utrobique prærefutavit objectionem Bellarmini, nisi hoc etiam non obstante maluisset Lectorem fraude non pia seducere. Patet hinc etiam Innocentia comparationis Fidei cum Igne, quam à Lutero propositam frustra adlatravat Bellarminus. Imò hinc quoque manifestum evadit, quid respondendum sit ad reliqua ex Augustino testimonia, quibus porrò Bellarminus conatur demonstrare, *veram sine Charitate Fidem esse posse.* De primo ex Opere de *Trinitate* paulò ante dictum est. Secundum è Commentario in Epistolam Johannis iisdem verbis munitur, quibus antecedens è Commentario in Psalmos, *Opus Fidei dilectio est*, ut ad eò nihil opus sit addere plura. Tertium quoque ex Opere de *Spiritu & Litera* eiplum explicat, quomodo videlicet intelligendum sit, *quod Fides dicatur impetrare Charitatem*, verbis & proximè sequentibus & antecedentibus. Sequentia hæc habent: *Neque enim esset in nobis, Charitas videlicet, quantacumq; sit in nobis, nisi diffunderetur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Quo ipsomet indicavit Augustinus, Fidem non meritorie Donum Charitatis impetrare & post se quasi trahere, sed potius unâ secum adferre. Indè etiam in proximè antecedentibus ex Apostolo scripsit, *Hæc est Fides, quæ per Dilectionem operatur.* Quæ verba quoties inculcavit, quod numero ferè in numero factum est ab Ipso, toties Fidei & Charitatis unitissimam conjunctionem Lectorem suis commendavit. Neque aliud dixit aut scripsit in Commentario Johanneo, quin potius illud ipsum, quod hætenus; ut mirum & hic possit videri, ausum fuisse Bellarminum huc Lectorem ablegare. Clara sunt verba, *Dæmon credit, nec diligit; nemo diligit, qui non credit.* Quid aliud his voluit Pater Sanctus, quam Fidem Dæmonis non esse veram, nisi quatenus Veritate nititur historica, quia destituitur dilectione. E contrario inquit, *ubi Dilectio est, ibi necessario Fides & Spes est.* Si hæc accuratius perpendisset Bellarminus, vix Lectori auctoritatem Augustini obtulisset. De verbis ex Opere de *Agone Christiano*, ad quæ itidem jubet Lectorem respicere Bellarminus, sub finem præcedentis Controversiæ dictum est, nec opus est ibi monita hærere, cum Lector qualicumque prædictus judicio huc possit adplicare. Quæ præterea in responso ad quartam Evangelicorum pro Fidei & Charitatis indissolubili vinculo ex Epistola Johannis objectionem quasi ad mentem Augustini profert Bellarminus, scribens, *Apostolum ibi de Fide formatâ loqui, quæ per Dilectionem operatur*, ad fraudem quoque non piam referri debent. Quamvis enim Augustinus in verborum, quibus utantur Evangelici, explicatione, undè paulò ante etiam notatu dignam observationem habuimus, scribat, loqui & agere Apostolum ibi de

Fidei, quæ per dilectionem operatur, quod Evangelici dudum ex Apostoli doctrinâ didicerunt & hæcenus omni ratione defenderunt, non tamen hanc Fidem dixit formatam, vel docuit, dilectionem esse formam Fidei, quod Bellarminus lectori voluit persuadere, quasi ex autoritate Augustini, quod in posterum bono cum DEO ulterius ostendetur peculiari Quæstione. Inter id tantum hoc notetur, illud quoque responsum in præsentî negotio esse Bellarmino adversarium. Nam si ex abundanti concederemus, & secundum regulas logicorum ad hominem & ex concessis vel præsuppositis vellemus disputare, possemus contra Bellarminum ostendere, quia Apostolus describit veram Fidem, cujus formam ipse Bellarminus dicit esse dilectionem, sequi Fidem, quæ destituitur dilectione, non esse veram, nisi Ecclesiæ fidem sine formâ velit obtundere Bellarminus, non sine maximâ absurditate. Patet ergo ex Augustini etiam sententia contra Bellarminum, Fidem veram non esse posse sine charitate, si non semper effectiva, saltem adfectiva.

Hæc operâ nunc defuncti rectâ pergimus ad tertium principale argumentum Bellarmini contra fidei in actu Justificationis solitudinem, quod à remotione causarum cur sola Fides secundum Evangelicos justificat, procedit, tela eorum ex Augustino retorquere conantis. Et quia in hoc negotio Lutheri Versio ob insertionem vocabuli sola venit defendenda, videndum omnino, num Augustinus à Bellarmino oppositus eidem in Apostoli mente explicanda sit adversarius. Et quidem ad caput defensionis prius, quo idem dicitur esse ex sententia Pauli, hominem justificari Fide sola, ac sine operibus legis, quod ultimum expressè legitur in tertio Epistola ad Romanos capite, urget Bellarminus testimonium Augustini ex opere de Prædestinatione Sanctorum, de quo dudum monuit Hülsemannus noster contra Hagerum, disputare ibi sanctum Patrem non de officio Fidei & operum, verum de utriusque Doni origine, adversus eos, qui operum quidem initium à DEI gratia esse concedebant, sed non Fidei, sumto inde argumento, quod Apostolus Fidem ab operibus distinguit; de distinctione inter Iudæos & Israël ab Augustino adhibita monens, aptam fuisse illam ad refutandum adversarios, qui ideò volebant operâ Fide exclusâ, quasi Fides non ab eadem gratia donaretur, sed ante gratiam esset, eamque mereretur, hæc insuper addita observatione, nusquam dicere Augustinum, Apostoli mentem esse, quod opera absque gratia DEI facta solum excludantur ob officio justificandi, de quo quæritur inter nos, sed operum hoc esse officium, ut in eis iuste vivatur. Patet hinc, quàm impertinenter Bellarminus Augustinum Lutherò opposuerit. Neque melius præcessit negotium ad posterius caput Defensionis, quo ex eisdem Apostoli mente pro Lutheri Versione idem ostenditur esse, hominem justificari sola Fide, ac gratis, quod ibidem Paulus habet, Bellarmino mutilatum adducente ex Augustino testimonium, quod ubi integrum exhibebitur, non Lutherò, sed potius Bellarmino opponendum id esse constabit. Legitur illud in Epistola post centesimam sexta hoc verborum tenore: *Nam dicat sibi, si ex fide quomodo gratis? Quod enim Fides meretur, cur non potius redditur, quam donatur? Non dicat ista homo fidelis, quia, cum dixerit, ut merear justificationem; habeo fidem, respondetur ei, quid enim habes, quod non accepisti? Cum ergo Fides impetrat justificationem, sicut DEVS unicuique paritus est etiam ipsius fidei mensuram, non gratiam DEI aliquid meriti præcedit humani, sed ipsa Gratia meretur augeri, ut aucta mereatur perfici.* Perpende hæc Lector Veritatis studiose, & vide, annon Bellarminus singulari studio hunc mutilaverit locum, ne Veritas Evangelica sit in aprico, ac Augustini consensus cum Lutherò fiat manifestus. Quæ ex opere Confessionem contra vim Fidei in negotio Justificationis adprehensivam porro habet Bellarminus, infantilia sunt & non merentur refutari; cum nemo mediocriter peritus ignoret, quàm diversimodè quid dicatur adprehendi, & quàm alia planè sit ratio, qua Fides adprehendit gratiâ Dei merito Christi oblatam, alia iridem, qua charitas Fidei comes propter ipsam hanc gratiam Fide acceptam amplectitur Benignissimum datorem, quod hic attendisse, objectionem Bellarmini erit refutasse, quæ non nisi ex ignorantia Rhetorices, quæ locutiones etiam Metaphoricas suis commendat auditoribus, ortum traxit.

in Conf.
Aug. pag.
m. 599.
& seqq.

vid. Meiff.
Phil. 5.
p. III.
pag. m. 348

Quartum nunc sequitur principale argumentum Bellarmini contra solitudinem Fidei in Justificatione ex vi vel virtute Relativa, ea objiciens Augustini testimonia, quæ Fidei meritum aliquod adscribere videntur. Sunt illa numero tria, quorum mentem & sensum breviter indagabimus. Primum è præfatione in Psalmum trigésimum & primum Bellarmino directissimè est oppositum; ut mirum sit, ausum fuisse illum id Evangelicis oppo-

opponere. Continet illud verba, quibus sententiam Apostoli expressit Augustinus, ad objectionem respondentis, quam à Bellarmino omittam operæ præteritum erit hic etiam legere: *Si Fides nihil prodest mihi sine charitate, charitas autem ubi fuerit, necesse est, ut operetur, Fides ipsa per dilectionem operatur; quomodo ergo justificabitur homo per fidem sine operibus? Respondet ipse Apostolus, cujus verba ad Augustinimentem exhibuit Bellarminus, quæ dum expresse negant, merito operum Fidei gratiam accipere hominem, clarius testimonium contra Bellarminum dare non potuit ad Apostoli sententiam Augustinus, adhuc uberius eam confirmans verbis sequentibus: *Noli ergo præsumere de operibus ante Fidem, noveris, quia peccatorum te Fides invenit, & si te Fides data fecit justum, impium invenit, quo faceret justum.* Nullum hic meritum Fidei, nullum ante Fidem, verum id indicatur tantum, quid Fides in homine efficiat & operetur data cæli. Et quia ad Commentarium Augustini in Epistolam Pauli ad Galatas provocat in super Bellarminus, quasi ibidem legantur eadem aut his similia, dum nulla adducit verba, possit lector responso jam dato contentus esse, nisi talia occurrerent, non quidem ad caput primum, ut vult Bellarminus, sed secundum, quæ magis adhuc sententiam Bellarmini infirmant. Sunt autem hæc, quæ ibi leguntur inter alia: *Vt ostenderet, quod vivit in illo Christus, & quod in carne vivens in fide vivit Filius Dei, non sui esse meritum, sed gratia ipsius, videlicet Christi, inquit, qui me dilexit & tradidit seipsum pro me. Pro quo nique nisi pro peccatore, ut eum justificaret.* Satis aperte docet augustissimus Doctor, nullum sibi, nullum fidei suæ Paulum adscripsisse meritum, sed omnem & Christum in se, & suam in fide vitam soli gratiæ & charitati ejus adscribendam esse, idcirco nimirum mortuus, ut justificaretur. Quid clarius iterum & apertius contra Bellarminum dicere aut scribere potuit ad Pauli sententiam, Augustinus, totus & hic, quantus est, à partibus stans Evangelicorum? Secundum alia continet sub se testimonia aliquantò specialiora, id tamen in genere demonstrantia, quod fides dicatur *initium Justitiæ*, ac per hoc causa sit *formalis inchoata Justificationis*. At præter id, quod sub initium Examini locum Augustini in hac Controversia dictum est, quo videlicet sensu fides ab eodem dicatur, vel potius dici videatur *initium Justitiæ*, an autem exinde sequatur, quod sit *formalis causa Justificationis inchoatæ*, idemque Augustinus sic docuerit, peculiari mox Quæstione videbitur; ex ipsiusmet Bellarmini *recognitione* interim est manifestum, quod in hac re sibi non semper similis fuerit, quod totum hoc negotium non parùm facere potest suspectum. In ipsa autem *recognitione*, ne illam scio prætermittamus pede, dum Augustini aliquam ex opere ad *Simplicianum* facit mentionem, non planè nullius erit opere præteritum, videre, an sancti Doctoris mentem ritè expresserit Bellarminus. Certè si ipsa iterum verba perpendamus, prout in ipsomet loco leguntur, patebit, neque hic sine furorem suam egisse Bellarminum. Augustini verba hæc sunt: *In quibusdam tanta est fidei gratia, quanta non sufficit ad obtinendum Regnum Cælorum, sicut in Catechumenis, sicut in ipso Cornelio, antequam Sacramentorum participatione incorporaretur Ecclesiæ; in quibusdam vero est tanta, ut jam corpori CHRISTI & sancto DEI Templo deputentur. Templum enim DEI sanctum est, inquit Apostolus, quod estis vos. Et ipse Dominus inquit, Nisi quis natus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit Regnum Cælorum. Fiunt ergo inchoationes quædam fidei, conceptionibus similes, Non tamen solum concipi, sed etiam nasci opus est, ut ad vitam perveniatur æternam.* Equidem, quid circa hæc Augustini verba sit observandum, non nescio. Verum hoc tantum nunc lectorem Veritatis studiosum observare velle, aliter longè hæc verba legi apud Augustinum, quàm ea Bellarminus adduxit; nec ita facile cuivis esse obvium, quomodo ad præsens Institutum interserviant, ut Evangelicorum sententiæ possint opponi, quia non agimus de inchoationibus tantum Fidei, quas conceptionibus Embryonum similes esse dicit Augustinus, sed de ipsa Fide justificata, eaque non prout opus considerata, vel quatenus est initium Justitiæ operum, quæ ipsam sequentur Justificationem, sed quatenus est medium illud adprehensivum Divinitus ordinatum, quo Justitiam CHRISTI imputatam sibi adplicat & propriam quasi facit homo peccator in actu Justificationis.*

Id iterum notasse, quod sæpius venit inculcandum, facilitatem eò majorem præbebit ad cætera, quæ ex Augustino objicit Bellarminus, respondendi. In genere provocat ad Apostoli testimonium de *fundamento prædicationis Evangelicæ* ac Augustini explicationem, scribentis in libro de *Fide & operibus*, Fidem

Fidem Christi vel in Christum esse fundamentum illud. Sed non vidit præ Mentis cœcitate Bellarminus, se hoc ipsomet Evangelicorum tueri & firmare sententiam, qui hoc idem cum Paulo & Augustino docent. Quamvis enim fortè in eo videatur vis opposita, quam defendere satagit, opinionis esse, quod Fides idèò dicatur *fundamentum*, quia sit *initium iustitiæ*, quod intendere videtur Bellarminus; suprà tamen jam est ostensum, Fidem tale dici & esse *initium*, ut etiam sit & dicatur *medium*, quin & certo respectu *finis*, vel id, quod ad ultimum ducit finem, videlicet fruitionem æternæ Beatitudinis, non tamen sine comitatu Virtutum cæterarum, spei & charitatis, quas tanquam sorores, nisi malit quis dicere filias, semper indivisim habet secum, nec unquam firmissimo sibi unitas vinculo dimittit. Atque hinc explicantur etiam cætera ex Augustino testimonia, quæ in aciem contra Evangelicos produxit Bellarminus, præsertim illa duo, quæ ex sermonibus de *Verbis Apostoli* habet, quorum prius docet, *Hominem incipere à Fide*, videlicet historica, quam Dæmonibus etiam ex Sententia Jacobi adscribit, cui in homine, ut vera videatur esse Fides, necessariò adungi debeat spes & charitas, non quasi homo vel sperando vel diligendo justificetur, sed quia homo justificatus verè se credere per spem & charitatem ostendit. Posterioris quæ sit ratio, ad *quintum* primi principalis argumenti testimonium monui, undè responsum hùc venit repetendum. His accedit locus ex laudatâ præfatione in Psalmum trigessimum & primum, quo sanctus Pater laudavit Abrahami in Filii oblatione obedientiam, commendans tanquam *opus magnum, sed ex Fide*, & cujus in Fide agnoscit *radicem*, non eo sensu, quasi Fides tantum esset initium Justitiæ & Justificationis, uti vult Bellarminus, verum quod sequentia docent verba, quia nisi ex Fide ortum traxisset obedientia Abrahami, Deo non placuisset. *Si enim hoc præter fidem rectam faceret Abraham, scribit Augustinus, nihil illi prodesset, qualecunque aliud opus esset.* Rursum *si sic teneret fidem Abraham, ut cum ei Deus imperaret offerre sibi Filium suum immolandum, diceret apud semetipsum, non facio, & tamen credo, quia me etiam iussa sua consermentem liberat Deus, Fides sine operibus esset mortua, & tanquam radix sine fructu sterilis atque arida remaneret.* Patet, quod Augustinus hic non egerit, neque etiam agere potuerit de initio Justificationis, quia Abrahamus filium immolare iussus à Deo jam fuit justificatus, sed de radice filialis erga Deum obedientiæ, quam ex sententia Apostoli vocavit Fidem, quod tamen ex schola Spiritus S. profectum unà exosculantur & amplectuntur Evangelici. Nunc super adhuc sunt in *quarti* hujus argumenti principalis tractatione *decem* ex Augustino loca, ex quibus argumentum speciale *terium* deducit Bellarminus, porrò ostenturus, quod pro *potissimâ* habet ratione, Fidem impetrare & *mereri* Justificationem & remissionem peccatorum, adeoque non solum per modum *Relationis* justificare. Ea antequam trutinâ imponamus, præmonendum est, verbum *mereri* in Patrum, & ita etiam in Augustini scriptis, ex usu aliorum quoque probatorum in Latinitate scriptorum, significare idem quod simpliciter *impetrare*, adeoque nullum creare Evangelicorum Sententiæ pro solâ Fide *relativa*, non meritoria, prout Doctores Papæ putant, præjudicium, quod observasse posthac etiam in *Quæstione de Meritis operum* erit usui, nunc verò responsum suppeditabit ad illas ex Augustino objectiones, quibus Meritum propriè & in rigore sic dictum Fidei adscribere conatus est Bellarminus. Ut igitur stricturis quasi brevibus eas expediamus, *prima* ex opere retractationum semetipsam explicat satis clarè in sequentibus verbis à Bellarmino omissis. Quamvis enim non reprobât à se antehac in Expositione quarundam Propositionum Epistolæ ad Romanos scripta, quod *Fides inchoet Meritum*, in proximè tamen & immediatè sequentibus ostendit statim, quale Meritum intelligat, nimirum, non ut homo ex Fide tanquam ex Merito justificetur, quod probandum fuit, si Bellarmini glossa deberet obtinere, sed, uti expressè scribit Augustinus, *ut per Munus Dei benè operentur*, videlicet electi, quos paulò ante nominavit, per Munus DEI nihil aliud quàm Fidem intelligens, quasi Matrem operum bonorum, Munus DEI idèò vocans Fidem, ut omnis respectus Meriti propriè sic dicti præscriberetur hâc ratione in Exilium. Eadem ratio est objectionis *Secunda* ex Epistola post centesimam quinta, utpotè quæ itidem satis clarè indicat, quo sensu Fidei meritum adscribatur. Ut enim ad varias lectiones non provocem, quas variorum Augustini Codicum & edictorum &

vid. Meiss.
Phil. S.
p. 206.
D. Damm,
Christ.
P. 278.

manu-

manuscriptorum inspectores observarunt, uti hic etiam in quibusdam legitur, *Nec ipsa peccatorum remissio sine aliquo est merito, si fidelis hanc impetrat*, non uti Bellarminus & alii habent, *si Fides hanc impetrat*; sequentia iterum verba docent, quale Meritum Fidei ex Augustini sententia sit adtribuendum. Restat, inquit, *ut ipsam Fidem, unde omnis iustitia sumit initium, non humano tribuamus arbitrio, nec ullis precedentibus meritis, quoniam inde incipiunt bona quaecunque* (NB, idem est, quasi scripsisset, *qualiacunque*) *sunt Merita, sed gratuitum DEI donum esse fateamur, si Gratiā veram, id est, sine meritis cogitamus.* Satis clarè mentem suam expressit Doctor sanctus, nec ulla indiget explicatione, modò res agatur seriò & abtque furo. Tertia objectio ex Epistola sequenti eodem respicit, commendans Fidem, *qua meretur gratiam bene operandi*; Bene operandi, inquam, non justificandi, de qua hic sermo est. Uberius hoc iterum ex more docet in proximè sequentibus, scribens: *Hanc enim Fidei voluntas habent, quā impetrent charitatem, qua sola verè operatur bene, isti fratres nostri, qui non de suis operibus gloriantur.* Non igitur respicit Fidem, prout in actu Justificationis consideratur, sed prout homo justificatus per eam opera charitatis exercet, quod contra falsam Bellarmini fossam venit observandum, cui id ipsum è diametro adversatur, quod aliam de ex Augustino inculcat, *opera bona accedere justificato, non precedere justificandum*, ut hoc posthac loco docebitur prolixius. Quarta etiam objectio ex Epistola post centesimam & quadagesimam quartā nihil aliud indicat, quàm ordinem divinum ante & post Justificationem, quod, quemadmodum Lex hominem ducit ad agnitionem peccati tanquam morbi, ut de Medico sic sollicitus, ita Fides justifica, ut potè gratuitum Dei donum præter ipsam Justificationis gratiam impetret, id est, secum & post se trahat *Spirium largiorem*, videlicet plura Spiritus S. dona & bona, quibus homo justificatus semper magis magisque exponatur, ut ita de Virtute ad Virtutem fiat progressus, ac quotidiana accedant ab hoc Spiritu nunquam in fidelibus justificatis otioso incrementa. Quinta objectio ex opere de spiritu & litera urget idem, discrimen inter legem factorum & Fidei vel credendorum exhibens, & in sequentibus porro explicans: *Lege operum dicit Deus, fac quod jubet; Lege Fidei dicitur Deo, da quod jubes. Ideo enim jubet Lex, ut admoveat, quid faciat Fides, id est, ut, cui jubetur, si nondum potest, sciat, quid petat; si autem continuo potest, & obediens facit, debet etiam scire, quo donante possit.* Quibus sic stantibus, non solum omni Meriti propriè dictio cessat in ipsa Justificatione, sed etiam in sequenti eam renovatione, de qua hic loquitur Augustinus. Sexta objectio supra quartum in primo argumento principali occupavit locum, debitumque accepit Responsum, hic cum nausea Lectoris non reperendum. Septima ex libro de Fide & Operibus explicat Christi verba, quibus *regnum Cælorum vni pati dixit*, quod Augustinus monet non ideò dictum esse, quia male etiam tantummodo credendo & pessimè vivendo perveniant in regnum Cælorum, sed quia reatus ille prævaricationis, quem sola Lex, id est, litera sine spiritu jubendo faciebat, credendo solvitur, & violentiā Fidei Spiritus S. impetratur, &c. Non examino in præsens hanc Explicationem Augustinianam, quam Barradius etiam plerorumq; aliorum Patrum Sententias adducens ipso damnavit silentio; verum hoc tantum Lectori considerandum relinquo, an *violentiā Fidei*, de qua hic agit Augustinus, aliquod importet Meritum, quale quidem Bellarminus desiderat? Quocunque enim veritas vel Christi verba, vel Augustini glossam super ea, nullum inde incurret in oculos, nisi eorum, qui vident aliis invisibilia. Octava objectio ex opere contra adversarium Legis & Prophetarum, ubi Fides dicitur *impetare Charitatem*, nobis non adversatur, uti ex hæcenus dictis & sæpius inculcatis constat, nunquam Fidei fratrum Charitatis, per quam Arbor bona demonstratur, denegantibus. Nona responsum accepit supra ad secundum primi argumenti principalis testimonium. Decima tandem ex opere de *Gratia & libero arbitrio*, uti cætera omnes, currit itidem extra metas, quia non queritur, quid Fides possit in homine jam justificato, de quo hic loquitur August. sed in ipso actu Justificationis, an videlicet aliquem habeat meriti respectum, quem neque post Justificationem Fidei adscribit Augustinus, sed ostendit tantum, quod Fides, id est, homo fidelis per orationem devotam impetret à Deo uberiorem Gratiā in præceptis ejus ambulandi, & in bono perseverandi. Atque sic demonstratum sufficenter, malè Bellarminum his Augustini testimoniis thesin præscripsisse, *quod Fides justificet per modum Meriti*, cum ex omnibus nullum fuerit idoneum, ex quo id possit quacunque etiam ratione exculpi, nobisque potius fuerit visus arma suppeditasse, quibus nostram de Fidei solitudine in negotio Justificationis tueri ex autoritate Augustini liceat.

Matth. 11.

Nam potè venit ostendendum, quàm frustra laboraverit idem Bellarminus in respondendo ad argumenta, quibus nostra confirmari solet sententia. Et quidem ad *primum*, quod ex sententia Pauli opera removel à Justificatione, notat *primo* contra Evangelicos, distinctionem inter legem factorum & fidei seu credendorum, quam Apostolus habet, non ita intelligendam esse, quasi lex fidei excludat opera, lex factorum verò excludat fidem, sed potius legem fidei requirere totius Decalogi observationem, idque dicit Augustinum demonstrare præsertim in opere *de spiritu & littera*, ex quo hætenùs non semel testis fuit auditus. Ut, quid de hujus distinctionis sensu sit habendum, pateat, in antecessum debet notari, non venire hic in Controversiam, an lex Mosaica vel Testamenti Veteris scripta in eo differant à lege Christi & scriptis Novi Fœderis, quod illa tantùm opera fidei excludat, hæc autem solummodò fidem exclusis operibus requirant, quod videtur ræquam aliquid absurdi Evangelicis impingere Bellarminus, quamvis contra fas & æquum; sed illud hic disputari, an, ubi Paulus articulum Justificationis explicans, legem factorum excludit, solâ lege fidei contentus, per legem fidei intellexerit talem, quæ simul requirat opera & observationem mandatorum? Evangelici negant, Bellarminus adfirmat, provocans ad Augustinum, qui tamen totus stat à partibus Evangelicorum. Omnia quæ hac pertinent ad scribere, prolixum nimis esset. Sufficiet totius tractationis summam adponere, quam ipse Doctor Sanctus sub finem exhibet sequenti verborum tenore: *Colligimus, non justificari hominem præceptis bonæ vitæ, nisi (NB. nisi) per fidem Iesu Christi, hoc est, non lege operum, sed lege fidei, non literâ, sed Spiritu, non factorum meritis, sed gratia gratuita.* En, Lector, fidem Bellarminianam! Vix certè credidissim, Bellarminum Lectori hoc objecturum, nisi ipsa loci, ad quem provocavit, inspectio fraudem hanc derexisset. Sed illud etiam, quod *secundo* ad primum Evangelicorum argumentum notavit, fidem desiderat aliquantò majorem. Occupatus nimirum fuit circa refutationem sententiæ de Fide solâ in Justificatione, & opponit verba Augustini, quibus Doctor sanctus impugnat errorem Pelagianorum, Justitiam legis in lege sine gratia defendentium. Quo id jure, quâve injuriâ ac disputandi perversitate vel imperitiâ sit factum, judicet iterum Lector qualicumque judicio præditus. Non vacat excutere loca, quæ partim verborenis adduxit Bellarminus, partim citavit, cùm status Controversiæ, in quâ tum verfabatur Augustinus, ostendat, nihil ea ad præsens negotium suppeditare, quod possit inservire. Insuper, quod *tertiò* notat, ad præsentem non pertinet controversiam, neque evertit doctrinam Evangelicorum, ut potè, quæ in Justificatione non requirit fidem tantummodò historicam, quam Dæmones etiam habent, sed fidem veram, quæ ex Apostoli sententia per dilectionem operatur, etsi hæc operatio in Justificatione non attendatur, sed in eo, quatenùs hæc *fides separat fidelis Dei ab immundis Dæmonibus*, uti scribit ibidem Augustinus. Falsus præterea & Bellarminus, vel omninò falsarius, Lectorem fallere studens, quasi in eodem loco Augustinus scripsisset, *non excludit opera, quæ sunt ex fide*, nimirum à justificatione, de quâ agitur, cùm nihil simile in toto legatur textu, quem citavit, sed contrarium potius, videlicet, *opera sunt ex fide, non ex operibus fides, ac per hoc ab Illo sunt nobis opera justitiæ, à quo est ipsa fides, de quâ dictum est, Iustus ex fide vivit.* Et in fine capituli, *Quia & ipsa opera bona nobis ex Deo sunt, à quo nobis & fides est & dilectio, propterea Doctor gentium etiam ipsam æternam vitam nuncupavit gratiam.* Nulla hic mentio justificationis, & quia beatitudinæ æternæ ex Apostoli sententia vocat non Meritum, sed Gratiam, nec aliæ sunt hujus, quàm illius causæ, manet, Augustinum quoque nullum hic operum habuisse respectum. Sufficit insuper, quod Bellarminus contra non paucos Interpretes suarum partium ad mentem Pauli à Justificatione excludit *opera Fidem præcedentia*, quam explicationem quoque dicit esse Augustini, & quidem non dubiam, sed constantem & omni modo *verissimam*; quæ Confessio non parum juvat Evangelicorum sententiam hætenùs defensam, præsertim si iteratò ea attendantur, quæ ad citata Augustini testimonia fuerunt observata. Quæ adduntur ex libro *de Natura & Gratia*, itidem non opposita sunt Evangelicis Doctoribus, sed *Naturalistis*, qui ex lege & lumine naturali adhucodiè etiam Deo grata exhiberi posse opera putant, contra quos alia occasione pluribus agitur, nobis jam ultrà progredientibus.

Igitur *secundum* nunc sequitur argumentum, ad quod tamen præter ea, quæ sæpius jam ex Augustino occurrerunt, nihil aliud habet Bellarminus, quàm quod Apostoli verba de *Iustitia Dei ex Fide in Fidem*, cujus sub initium Epistolæ ad Romanos meminit, non præcisè ad mentem Augustini adfirmat exponi debere *de Fide prædicationis &*

Eccc

nis &

nis & apprehensionis, sed intelligi etiam posse de *Fide imperfecta & perfecta seu per charitatem formata*. Atqui si semel licet & liberum est ab Augustini sententia in explicatione Apostoli discedere, quidni aliàs etiam hoc erit in libertate interpretis positi? Præterea inter tot diversas antiquorum & recentium super hoc Apostoli loco sententias an potiore elegerit Bellarminus, merito dubitatur. *Est* hinc certè, ubi plerique, tacent, hanc Bellarmini omisit, non omisurus, si aliquam ei inesse verisimilitudinem censuisset, aliam planè substituens, à Bellarminiana longius remotam, videlicet, quod Paulus judicare voluerit, *Iustitiam, quæ quis coràm Deo iustus est, Fide comparari, & continuo nutriri, conservari, augeri & perspicere debere, tanquam non satis sit ad Iustitiam semel credidisse, sed oporteat Iustitiam ex Fide ad præram semper ex Fide nutriri*, quam expositionem scribit congruere intentioni Paulinæ, declarante subjunctâ probatione ex Propheta, suppeditantibus eam *Theophylacti & Oecumenio* ex antiquioribus, ex recentioribus autem *Sasboldo, Pererio & Immanuel Saa*, quibus ex nostris addo *Mylum*, ex antiquis *Calovium* ad censet *Clementem Alexandrinum*, quorum stante sententia manet sola Fides ex parte hominis organum & instrumentum in negotio justificationis, quod hic est demonstrandum.

Ad tertium porro argumentum, quod Evangelici solent in hac Controversia urgere, & particulam *Gratis* ab Apostolo in eadem quæstione adhibitam proponit, Bellarminus quidem prolixior, sed eò etiam radiosior, quia ut plurimum ea repetit, quæ non semel hæctenus debitum acceperunt responsum. Ita quæ ex Epistola Augustini post centesimam quintâ & sexta iteratò inculcavit, supra jam sunt exempla, partim ubi actum est de decem Augustini testimoniis ad quartum, partim de duobus eisdem ad tertium principale argumentum, nec actum agere videri potest constitutum. Hoc tamen non prætermittendum est, quod, quia præter *Dominicum à Soto*, alii etiam, quos vocat *Catholicos*, Evangelicis in exclusione *Meriti*, videlicet humani, & propriè sic dicti, à justificationis gratia videntur consentire, quæstionem esse putat Bellarminus, ferè de solo nomine, addens, hoc tempore quam maximè necessarium esse, ut illud, & quidem de congruo adhibeatur, in gratiam Lutheranorum, omnia tollentium merita, quia eodem usus sit Augustinus in quæstione contra Pelagianos, merita iusto amplius extollentes. At, sicuti cessabit de solo nomine quæstio, si ill ad ritè explicetur, & consumatur sensu, quo Patres orthodoxi quondam usurparunt, ita dispar omninò non est ratio Controversiæ, quæ Augustino quondam cum Pelagianis fuit, & cujus ratione Evangelici à Tridentinis Patribus anathemati sunt subjecti, quamvis per Dei gratiam hæctenus seruto. Ibi Pelagius cum suis naturæ etiam merita extulit, hic quidem videntur ea excludere Doctores Papæ; verùm si receptas præsertim hypotheses de operibus, & regeneratorum respiciamus, de quibus supra peculiari actum est tractatione, non adeò procul ab illis videntur esse remoti. Quod verò Augustinus, non obstante Pelagianorum opinione de Meritis etiam ante Gratiam, voce *Meriti* nihilo minus legitur usus, sæculi genio est adscribendum, qui tamen non uno in loco sufficienter suam explicavit mentem, quo sensu hanc adhibet vocem, ne qualecunq; præjudicium gratiæ possit exinde nasci. Nobis autem Evangelicis à Synodo Tridentina damnatis alia jam incumbit necessitas, ut ab hac voce in hoc præprimis Articulo abstinereamus, ne cui quæcunq; ratione colludere videamus iis, qui nobis omni modo, stantibus & nulla correctione molliendis hypothesis, non videntur saltem, sed revera sunt irreconciliabiles, quia incorrigibiles, atq; sic indigni, in quorum gratiam *Grammatica*, quæ Patres orthodoxos constat usos, mutetur, & voces, quæ sunt rerum signa, ac juxta vulgarem loquendi formulam *sicut nummi valent*, aliis exponuntur sensibus, quam ab istactum legitimus, quorum alias amplectimur sententias, uti proximè ulterius monebitur. Ex quamvis *Dominici à Soto* & lequacium contra meritum propriè sic dictum argumenta non ex alio respondeant sententiæ Evangelicorum, juvat tamen vel tribus verbis Bellarmini responsiones examini subjicere, ut veritas ex hac etiam collisione eò magis pateat. Et quidem ad primam debet observari, utur Augustinus hanc sententiam, *Fides meretur remissionem peccatorum*, expressè & verbatenus non retractavit, eò nimirum sensu acceptam, quo Evangelici hodiernum intelligunt, & ipsummet Augustinum intellexisse, ex parallela ejus doctrina est indubium, retractasse tamen eò sensu, quo Papæ pelagianistæ eam accipiunt, per retractationem ejus opinionis, quæ antehac *initium Fidei* putavit ex nobis esse, eo non obstante, quod posthac itidem docuit, *Fidem inchoare Meritum*, cujus sententiæ mentem orthodoxam supra ad primum ex decem testimoniis jam ostendi. Quæ ad secundam objectionem ex Augustino loca proponit,

posuit, in antecedentibus ad liquidum sunt deducta, ultimò tantum excepto, quem ex Commentario in Johannem exscripsit, sed ita, ut crimen falsi apertissimum commiserit, verba proximè sequentia omittens, in quibus tamen lux manifesta adparet, quod erroris tenebras potuisset dissipare, nisi nebulas incauto Lectori objicere maluisset. Comparat nimirum sanctus Pater cæcum à nativitate Christi beneficio oculorù usui restitutum, certo quodam respectu cum Publicano, quem Christus alibi Phariseo opposuerat, corrigens ipsius cæci sententiam, quâ dixerat, *scimus, quia Deus peccatores non exaudit, si, inquit, Deus peccatores non exaudiret, frustra publicanus ille oculos in terrâ demittens & pectus suum percutiens diceret, Deus, esto propitijs mihi peccatori. Et ista Confessio meruit Iustificationem, quomodo iste cæcus illuminationem.* Si hoc quomodo adtendisset Bellarminus, potuisset omninò & debuisset hoc testimonium omittere, ut potè plus damni suæ inferens sententiæ, quam commodi. Ad tertiam objectionem benè habet, quod verbum *mereri* in hoc negotio ex Augustini mente per verbum *impetrare* explicat Bellarminus, id enim hæcenus volunt Evangelici. Quod verò addit, Augustinù non fidei solùm, sed etiam *dilectioni* meritù justificationis tribuere, quàm falsum sit, ex iis potest esse manifestum, quæ sub initium huius examinis sunt dicta. Ad quartam ea recoquit, quæ supra jam ex parte proposuerat, de stylo Augustini, observans, incredibile videri, eum *improprie* hoc verbo *merendi* usum, ut potè in Latinitate ab ætate prima verfatum, citatis tribus locis, ubi propriissimè existimat hoc verbum esse adhibitum. *Medius* è Commentario in Johannem modò sustinuit examen, nunc de primo & postremo breviter videbimus, quid statuendù. Prior legitur in Epistola post octogesimo nona, atq; sic habet: *Quamvis superbus dives, qui induebatur Purpura & Byssò, & quotidie epulabatur splendide, mortuus apud inferos torqueretur, tamen si pauperis uicinosi, qui ante januam eius jacebat contemptus, fuisset misertus, mereretur & ipse Misericordiam; & si pauperi illi Meritum esset impia, non Iustitia non utiq; ab Angelis in Abrahamæ gremium, qui dives hic fuerat, tolleretur. Sed ut nobis ostenderetur, nec in isto paupertatem per se ipsam divinitus honoratam, nec in illo divitias fuisse damnatas, sed in isto pietatem, in illo impietatem suos exitus habuisse, sic suscepit impium divitem cruciatus ignis, ut tamè pium pauperem susciperet Sinus divitis.* Apertè satis indicat Doctor Augustus, quid utrobique per nomen *Meriti* est verbum *Mereri* voluerit intellectum, videlicet *exitum* utriusque. Nam alioquin, si dives per solam erga Lazarum misericordiã, fide verã non accedente, potuisset divinam mereri misericordiam in impetranda salute æterna, Pharisei Eleemosynarj non ultimùm in regno cælorum occuparent locum, contra Christi prognosticum satis clarè expressum; & nisi per *Pietatem* Lazaro adscriptam intelligatur fides verã, *Iustitiam* non propriam, sed imputatam adprehendens, unde *Meritum* est apud Deum, ostendi pervelim ab aliquo Bellarmini hyperaspiste, quãnam alia secundùm hypotheses Tridentinas gavisus dici possit Lazarus Iustitia? Sequitur locus posterior Augustini, in quo Bellarminus putat propriam *Meriti* & *merendi* significationem legi, ex enarratione Psalmi post quinquagesimum primi secundùm Ebræos desumptus, ubi Plaltis Regij verba sic explicantur: *Et à delicto meo munda me. Quo merito? Medicus est, obfer mercedem. DEVS est, obfer sacrificium. Quid habes, ut munderis? Vide enim, quem invocas, Iustum invocas, odit peccata. Si justus est, vindicat in peccatis; si justus est, utiq; non poteris auferre à Domino Deo Iustitiam eius. Implora misericordiam, sed adtende Iustitiam. Misericordia est, ut ignoscat peccanti; Iustitia est, ut puniat peccatum. Quid ergo? Quarit Misericordiam, peccatum remanebit impunitum? Respondeat David, respondeant lapsi, respondeant cum Davide, ut misericordiam mereantur, sicut David, & dicant, Non, Domine, non erit impunitum peccatum meum. Novi Iustitiam eius, cuius misericordiam quero. Non erit impunitum, sed ideo nolo, ut tu me punias, quia ego peccatum meum punio; ideo peto, ut ignoscas, quia ego agnosco.* Ad plurimùm fallit & fallitur Bellarminus, si vel ipse putavit, vel Lectori voluit persuasum, quasi Augustinus fuerit tam absurdus, aut Davidem existimaverit ista fuisse paradoxum, ut crederet, agnitionem peccati in homine rationem habere pœnæ alicuius meritorie aut meriti proprie sic dicti. Hoc certè si verum esset, Caini & Judæ insignia fuissent merita, quibus uterq; misericordiam mereretur, Judas præsertim, ut potè apud quem agnitio peccati non solùm verbalis, sed insuper etiam punitio realis fuit. Atq; hæc etiam ad objectiones Romano-Catholicorum ex Augustino. Nunc alia potè contra *Dominicum à Soto* & sequaces, ad Evangelicorum sententiam in hoc capite propius accedentes, urget Bellarminus, interque alia ad classicum Johannis locum, quo Deus vocatur *fidelis & justus, ut remittat nobis peccata, si confiteamur ea*, observat, Apostolum loqui de remissione venialium, *qua iusto Dei judicio bonis Iustorum meritis reddatur*, Augustino ex opere de correptione

ne & gratia ad testimonium vocato. At præterquam, quod Augustinus in ipso super hanc Epistolam Commentario expressè observat, Apostolo non solum de levibus peccatis hic esse sermonem, de quibus notanter scribit, *quod homo, quamdiu carnem portat, non possit non ea habere*; hic loci, quem Bellarminus citavit, nulla planè mentio huius testimonii Johannæi occurrit, ut in adlegatione error videatur commissus, dubium, an à Scriptore, an Typographo? Cætera quæ ex Epistolis post centesimam quinta & sexta, item ex Præfatione in Psalmum 31. vel juxta Ebræos secundum, iteratò reproducit in aciem Bellarminus, ex antedictis suum habent sensum, nec indigent uberiori explicatione, cum satis apertè Evangelicorum sententiæ adstipulentur.

Ad *quartum* nunc properamus argumentum, ea exhibens Scripturæ testimonia, quæ omnibus in universum credentibus sine ulla exceptione Iustificacionem & Salvacionem adscribunt, ad quæ Bellarminus partim negativè, partim affirmativè respondet ex Augustino. Prius hunc in modum, ut dicat, posse hæc scripturæ loca de fide exponi *negativè*, quâ ratione monet Augustinum explicare verba Pauli de voluntate DEI omnes salvandi catholicâ & universali. Verùm, quod antehac non semel fuit observatum, in explicandis scripturæ dictis non valet, ut dicatur, *potest sic exponi*, sed ex visceribus & circumstantiis Textus ipse scopus dicentis vel scribentis debet attendi; neq; semper ex voto procedit negotium, si ad loca, quæ videntur parallela, fiat provocatio, quasi regula sit constans & perpetua, hæc vox vel particula hoc in loco sic intelligitur, ergò in illo etiam sic erit intelligenda, quia parallelismus non rarò fingitur, ubi planè nullus est. Ita quamvis Pauli locus, de quo supra contra *Iansenium* ex *Petavio* & aliis, prævio etiam ipsomet ac consentiente Bellarmino, prolixius est actum, admitteret hanc particulam *omnis* explicationem negativam, cuius tamen sensus veræ affirmationis ex aliis Augustini testimoniis fuit ad oculos demonstratus, non sequeretur tamen, quod idem sensus obtinere deberet in aliis scripturæ locis, de alio planè argumento agentibus. Nimirum Pauli locus agit de universali, ut dictum est, voluntate Dei, quæ aliàs vocatur *antecedens*; in præenti quæstione autem agit de voluntate Dei, certo quidem sensu etiã universali, propter universale medium, quod omnibus proponitur hominibus æternam salvandis, sed tamen in eo limitata & quasi conditionata, ob quod etiam dicitur *consequens* & particularis, quia non omnes hoc utuntur medio, & earens largimur facile, latere in Christi verbis, cæterisq; Apostolorum testimoniis, quæ omni in universum credenti æternam salutem adscribunt, occultam negationem, hoc videlicet sensu, quod nemo sine fide salvetur, atq; sic etiã in antecedentibus justificetur, quæ tamen negatio minimè debet opponi apertissimæ affirmationi, multò minus comparari formulæ loquendi, quàm in libro de *Prædestinatione Sanctorum* ad locum Pauli de Voluntate Dei catholica qualitercunque explicandum usus legitur Augustini, utpotè huc impertinentissimæ & nulla omnino ratione quadranti. Et quia Bellarm. ipse in *posteriori* responso sensum admittit *affirmativum*, est illud in stat testimonii veritatis pro sententia Evangelicorū. Quod enim annexit, subintelligi debere, *si non desint cæteræ virtutes*, Fidei Comites & pedissequæ; ab initio hujus examinis est ostensum ex Augustino, quo sensu id verum sit & admittendum, neq; cum naulea Lectori vice iterata proponendum.

Super nunc essent insuper vindicanda Augustini testimonia, quæ pro fide solam justificationem hæcenus Evangelici Doctores numero non paucos vel parcos celegerunt, nisi Bellarm. pleraq; dissimulasset, binario tantum contentus, ad quæ etiam tam leviter respondit, ut quasi defatigatus à labore prolixiori, manus Evangelicis victas de disse videatur. Nam quod ad testimonium ex opere *contra duas Pelagianorum Epistolas* simile de tribus adduxit comitibus, tam frivolum est, ut tyronem in rebus Theolog. pudere debuisset tantæ inanitatis, Lectorq; brevi etiam præditus judicio facile possit subodorari, aquam hæsisse Bellarmino, nec habuisse, quod aptius opponeret. Ad locum ex opere *Quæstionum* 83. urget fidem charitate formatam atq; perfectam, quæ examinare ad sequentem proxime pertinet Controversiam; cætera sunt partim indubia & extra Quæstionis statum, partim in antecedentibus sufficienter explicata, atq; nullam imperant ulteriorem moram. Stat himirum sententia Evangelicorum, Augustini auctoritate nunc confirmata, Paulum, imò ipsummet Christum, testem omni exceptione majorem, & verè maximum agnoscens, quod homo peccator coram Deo justificatur, & sic etiam in æternum fiat salvus, Sola Fide, quod erat demonstrandum.

LIBRI II. CAPVT TERTIVM & seqq.

De Iustificacionis causâ formali.

PRætermis omnibus, quæ prolixius habet Bellarminus de varietate sententiarum apud

apud hæreticos, quos vocat, utpote de quo alii dudum sufficienter egerunt, arcem ipsius controversiæ adgredimur, visuri primùm argumenta, quibus pro *justitia inhærente* militat ex Augustino Bellarmino, & postmodum responsiones, quas argumentis Evangelicorum, & qui in hoc Fidei puncto cum illis sentiunt, ex eodem reponit. *Primum* igitur pro *justitia hæc inhærente* argumentum delimit Bellarm. ex sequenti testimonio Pauli: *sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ista per unius obedientiam justii constituentur multi.* Addantur verba proximè antecedentia, ut sensus Apostoli sit eò manifestior, Quamvis autem Bellarm. in hoc loco maximum causæ posuit præsidium, ita non nescivit ea, quæ contra hanc inhærentem *justitiã* ex eodẽ solent urgeri. Inter ea primariũ est, quod in verbis antecedentibus *justificatio* opponitur *condemnatione*, quod ex loco ejusdem Epistolæ parallelo illustratur, ubi sequentia leguntur: *Deus est, qui justificat, quis est, qui condemnet?* A dedit monitum de ipsã voce Latina, quod quamvis à Patribus interdum *justificare* accipiatur pro eo, quod est *justum facere*, tamen eam notionem apud bonos linguæ latinæ authores non inveniri. Ad illud Bellarm. reponit, Quamvis *condemnatio* & *justificatio* alicubi significant actionem judicis, ut in citato Apostoli loco, tamen quando Deus *justificat* impium, *justum* declarando etiam facit *justum* quoniam Dei *judicium* & *secundum veritatem*. Itaque sive Christus per obedientiam suam, sive per *judicium* suum nos *justificet*, semper facit *justos*, & hoc modo ipsum intellexit locum Augustinus, in opere de *Peccatorum meritis & remissione*, ubi dicit, in Christo *justificari*, ex sententia Apostoli, non esse solum imitatione Christi *justum fieri*, sed etiam per ejus gratiam *regenerari*, sicut in Adamo *condemnari non esse solum imitatione Adami, sed carnali etiam generatione ad culpam trahi*. Ad hoc autem, videlicet de usu vocis latinæ respondet Bellarm. sancti Patres linguæ Latinæ non imperitos verbum *justificare* passim usurpare pro eò, quod est *justum facere*, Augustinum præpimis, ex quo sequentia sex loca adducit. *Primum* è Concione primã in Plalmum trigésimum, *quis est, qui justificat impium? qui facit ex impio justum*. Secundum ex opere laudato de peccatorum meritis & remissione, *Gratia Dei justificamur, hoc est, justii efficiamur*. Tertium ex opere de spiritu & literã, *Quid est aliud justificati quam justii facti? Quartum* ex Epistolã post centissimã quintã, *justii sunt facti, cum justificati sunt*. Quintum ex Epistolã sequenti, *Ante quam gratiã justificatur, id est, justii efficiatur impius, quid est, nisi impius? Sextum* denique ex Epistolã post centesimã vigésimã, *credens in eum, qui justificat impium, id est, ex impio facit pium*. Hæc ad primum pro *justitiã inhærente* argumentum ex Augustino. Sequitur secundum, ex eadem Epistolã Pauli, ejusdemq; verbis sequentibus, *justificati gratis per gratiam ipsius &c*: ubi post plura ad illustrationem hujus loci inferentia, uti putat, subjungit, *gratiam, per quam justificati nos dicit Apostolus, dici quoque ab eodem ibi Charitatem diffusam in cordibus nostris per spiritũ sanctum &c*, quãvis adversarii, contendunt, Apostolum loqui de Charitate, quã Deus nos diligit, hoc est, de favore & Benevolentia, quã in ipso est Deo, Augustinum tamen disertis verbis contrarium docere in libro de spiritu & literã, scribentem *charitas Dei dicta est diffundi in cordibus nostris, non quã nos ipse diligit, sed quã nos facit dilectores suos*. Post hæc ex omnibus Tomis operum Augustini *Justitiã inhærentem* demonstrare laborat, adeoq; ejus autoritate, ut antehac etiam non semel, Evangelicos opprimere. Et primus quidem Tomus suppeditat testimonium ex opere confessionum, quod ita legitur: *Quantum distat inter lumen, quod illuminat, & quod illuminatur, tantum distat inter Justitiã justificantem, & Justitiã, quã justificatione facta est*. Quo, inquit Bellarm. loco nostram distinguit *Justitiã* à *Justitiã Dei*, & sine dubio cretam facit qualitatem, ut est lumen, sapientia & similia. Secundus ex Epistolã post octogésimã quintã sequens: *Quid est aliud Justitiã, cum in nobis est, vel qualibet virtus, quã rectè sapienterque vivitur, quã interioris hominis pulchritudo?* Bellarminus addit, & hic apertissimè ponit nostram in internã mentis renovatione & virtutis decore *Justitiã*. Tertius ex opere de Trinitate hoc: *Natura, cum à Conditore suo justificatur, à formã deformi transfertur in formã formosã*. Igitur non manet deformis, subjungit Bellarm. ut adversarii volunt, homo *justificatus*, nec eget imputatione *justitiã alienã*, quã Injustitiã propria & inhærens tegatur. Addit, in eodem Tomo esse librum de spiritu & literã, de quo ipse testetur Augustinus in opere retractationum, quod scriptus sit contra inimicos gratiæ Christi, quã *justificamur*; in eo autem libro & quidem toto gratiam Dei dici *charitatem diffusam in cordibus*, quã faciat, ut Lex impleatur. Charitas igitur, ita consequentiam inde deducit Bellarm. quã legem implemus, est *justitiã*, quã *justificamur*. Quartus ex opere ad simplicianum, quia manet propositum Dei, ut *justificet credentes, idè invenit opera, quã jam eligat ad regnum Cælorum*. Ubi, quæ glossa Bellarmini est, id vocatur *Justificatio*, undè bona procedunt opera. Et infra, *Nisi vocando precedat Misericordia Dei, nec credere quisquam potest, ut ex hoc incipiat justificari & accipiat facultatem bene operandi*. Itaque per *Justitiã*,

- Justitiam, sic iterum glossatur Bellarmin. quâ justificamur, intelligitur fides & charitas, quæ ipsa facultas est operandi bene. *Quintus* ex opere de civitate Dei, *Hic in unoquoque est iustitia ut obedienti Deus homini, animus corpori, ratio autem vitis etiam repugnantibus imperet vel subigendo, vel resistendo, atque ut ab ipso Deo petatur & meritorum gratia, & venia delictorum, ac de bonis acceptis gratiarum actio persolvatur.* In hac definitione Justitiæ, inquit Bellarminus nullum habet locum Justitia Christi imputata, sed sola Justitia nobis inhærens, per quam ratio subigit vitia, & Deo præstat obedientiam. Quia tamen hæc Justitia inhærens Deo indiget adjuvatore, ut iusta valeat exequi opera, ideo ad nostram pertinere dicit Justitiam Augustinus, ut ad Deo petamus meritorum gratiam & veniam delictorum, & pro Beneficiis acceptis gratiam persolvamus. *Sextus* ex opere de hæresibus, in quo explicans Augustinus, quæ sit gratia Dei, cujus inimici erant Pelagiani & per quam justificamur, ut ipse ait
- L. II. c. 37. & 42. in retractationibus, dicit esse eam, quæ æruimur de potestate tenebrarum, ut credamus in Christum, atque in regnum ipsius transferamur. & quæ diffunditur charitas in cordibus nostris, ut fides per dilectionem operetur. Ubi secundum Bellarmini glossam manifestè gratiam Justificationis constituit in remissione peccatorum, & in infusione virtutum, Fidei præsertim & charitatis. *Septimus* ex opere de peccatorum meritis & remissione, *Legimus justificari in Christo, qui credunt in eum, propter occultam communicationem & inspirationem gratiæ spiritualis.* Item ex libro de Natura & Gratia, in quo docet *Charitatem infusam in cordibus esse vocatam iustitiam nostram.* *Octavus* à Commentario in Psalmum 118 vel secundum ad Ebræos 9, *iustitia virtus est animi magna, præcipueque laudabilis.* Et continè ibidem de hac ipsa virtute, *Quis fecit in homine iustitiam, nisi qui justificat impium, hoc est, per Gratiam suam de impio facit iustum.* Ethic, scribit glossator Bellarminus, apertissimè justificari dicimur per iustitiam, quæ sit virtus inhærens. Item in Psal. 98. tractans illud, *iustitiam & iudicium in iacob tu fecisti, exaltate Dominum Deum nostrum,* inquit Augustinus, *Verè exaltate, bene exaltate, laudemus & exaltemus illum, qui fecit ipsam iustitiam, quam habemus. Ipse in nobis fecit. Qui enim in nobis fecit iustitiam, nisi qui nos justificavit? Nos ergo impii, ille Iustificator, quando & ipsam iustitiam ipse in nobis fecit, quâ placeamus illi.* Nonus ex Commentario in Johannem, *Quid est iustitia Dei & iustitia hominis? iustitia Dei dicitur, non quæ Deus est iustus, sed quæ dat homini Deus ut iustus sit homo per Deum.* Decimus tandem è Sermonibus de Verbis Apostoli: *Qui crediderit in eum, non suam habebit iustitiam, quæ est ex lege, quamvis lex bona sit, sed implebit ipsam legem, non sua iustitia, sed data à Deo, charitas enim plenitudo est legis. Et unde ista charitas est diffusa in cordibus nostris? Non nisi à nobis, sed per Spiritum S. qui datus est nobis.* Bellarm. annectit. Hoc loco perspicue docet Augustin. Justitiam, quæ nobis est ex Deo, ipsam esse charitatem in nobis diffusam, per quam implemus legem; & totus ille sermo longissimus & pulcherrimus hoc idem confirmat.
- Atque hæc hæc hactenus ex Augustino pro Justitia inhærente Bellarm. nunc adgreditur sententias Evangelicorum, quas vocat diversas, ut eas co- & subordinatas esse posthac in legitima formatione status Controversiæ docebitur. Ea inter videamus, quæ ex Augustino iis opponat, quæ Evangelicorum sunt propriæ, & ad unam commodissimè referri possunt, imò debent. Et primè quidem sententiæ, quæ fides dicitur justificationis causâ formalis, quamq; *Luthero & Melanthoni* in Augustana Confessione adscribit, primò opponit Apostoli verba, *Nos Spiritu ex Fide spem iustitiæ expectamus,* quæ verba duobus modis intelligi posse dicit, uno, ut sensus sit, ex fide speramus æternam vitam, quæ merces & iustitiæ; altero, ut sensus sit, ex fide spem iustitiæ expectamus, id est, ex fide speramus nos posse justificari, addens, utrumq; sensum attingere Augustinum in opere de Spiritu & Litera, quamvis posterior hic simplicior & magis congruens esse cum verbis præcedentibus videatur, & tamen uterq; recidat in idem, cum ex utroq; id colligatur manifestè, ex fide, non ex lege aut operibus ante fidem factis hominem justificari. At, ita subiungit Bellarm. ne daretur errandi occasio, idem Apostolus explicuit, quæ fides sit illa, quæ justificat, cum ait, *Nam in Christo Iesu neq; Circumcisio valet aliquid, neq; Præputium, i. e. neq; lex circumcisis data, neq; opera gentilium in præputio facta justificant, sed Fides,* non autem quæcumq; sed quæ per dilectionem operatur, id est, Fides, quæ agit ac movetur, formatur & animatur quasi per dilectionem. Quod si charitas est forma Fidei, sic porro Bellarm. argumentatur, & fides non justificat formaliter, nisi ab ipsa charitate formata, certè multo magis ipsa charitas iustificat. Deinde post hæc opponit huic *Lutheri & Melanthoni* sententiæ Bellarm. auctoritatem Augustini, tribus in locis, uti putat, contrarium docentis. Primus est ex eodem opere de Spiritu & Litera, ubi dicitur, *Fide impetrari iustificationem, videlicet, iustitiam, quæ ex fide est, impetrando ex Deo, non ex se metipsis præsumendo.* Et infra, *opus, quod qui fuerit, vivet in eo, non sit, nisi à justificato; iustificatio autem ex fide impetratur.* Secundus est ex sermone supra laudato de verbis Apostoli, *iustitia sit, sed ex gratia sit, à Deo tibi sit, non tua sit.* Et mox, *geme, ut impetres, plora, ut impetres, crede, ut impetres. Qui invocaverit Nomen Domini, salvus erit, iustus erit.* Quod si, ita sublimet Bellarm. Fides

Fides impetrat Justificationem, certè non ipsa formaliter sola justificat. Nam si formaliter ipsa, justificaret sola, esset homo formaliter justus, antequam impetraret Justificationem, cum habeat Fidem ante impetrationem Iustitiæ, atq; ita iustus esset ante - quam esset iustus. Tertius est ex opere de Natura & Gratia, ubi Augustin. Iustitiam in ipsa constituit c. ult. charitate, scribens, *Charitas inchoata est inchoata Iustitia*, &c. Post hæc venit Bellarminus ad defensionem distinctionis Fidei in formatam & informem, quam Augustini etiam authoritate conatur firmare, Commentario in Johannem brevissimè demonstrantis. *Sanctam religionis Christiana redigi ad charitatem, non ad fidem, quoniam qui diligit, necessariò etiam credit & sperat; non autem omnis qui credit, continuo etiam sperat & diligit.* Et quia donum charitatis propriè ad legem pertinere dicitur, quia lex charitatem præcipit, eadem ratione putat Bellarm. Fidem pertinere ad legem, Augustino scribente ibidem, *De Fide quam multa sunt mandata; quis potest cuncta colligere, quis enumerando sufficere?*

Secundum errorem, quem sumit refutandum Bellarm. *Osiandro* adscribit, qui dum personalis fuit, neq; cæteris Evangelicorum communis, hic intractus meritò prætermittitur. Igitur ad tertium ut progrediamur, dum Calvino impingit opinionem, quasi Iustificationem propriè in sola remissione, i. e. non imputatione peccatorum esse positam statuerit, sibi met ipsi contrarius est, sub initium scribenti, Calvinum contendere, Justificationem non esse positam nisi in remissione peccatorum, *verum non excludit remissionem Iustitiæ Christi, sed internam renovationem & sanctificationem*; & quia è contratio laborat probare, ipsam renovationem Iustitiam esse dicendam, non Iustificationis effectum, & quidem ex Augustino quoq; diversis quinq; testimoniis, in rem præsentem erit veniendû & videndum, quo cum candore id fiat. *Primum est ex Epistola post centesimam quinta, in qua leguntur ultra medium sequentia: Nec quisquam liberatur & iustificatur, nisi gratia Dei per Dominum nostrum Iesum Christum, non solum remissione peccatorum, sed prius ipsius inspiratione Fidei & timoris Dei imparitio salubriter orationis affectu & effectu.* Secundum ex Enchiridio ad Laurentium, *Quemadmodum in illo vera mors est facta, sic in nobis vera remissio peccatorum; & quemadmodum in illo verare resurrectio, ita in nobis vera est Iustificatio.* Ubi Augustin. secundum Bellar. glossam secutus Apostolum Iustificationis nomen tribuere maluit internæ renovationi, quàm remissioni peccatorum. *Tertium ex opere de peccatorum meritis & remissione. Quid est, quod abundantiam gratiæ & iustitiæ accipiunt, nisi quod non est tantum peccato, in quo omnes peccaverunt, sed eis etiam quæ addiderunt, gratia remissionis datur, eiq; hominibus tanta donatur Iustitia, ut cum Adam censensur ad peccatum suadenti, non cedant isti etiam cogenti?* Bellar. subiungit, annon apertissimè hoc loco August. præter remissionem peccatorum ponit in homine Iustitiam, per quam præcepta divina, diabolo etiã tentante ac penè ad prævaricandû cogente, custodiatur? *Quartum è sermionibus de verbis Apostol. Iustificati sumus, sed ipsa iustitia, cum proficimus, crelcit.* At, ita subsumit Bellarm. remissio peccatorum non propriè dicitur crescere, sed virtus fidei, spei & charitatis, ipsa est iustitia quæ, cum proficimus, crelcit. Addit, Doctorem sanctum idem ibidem tulus exponere. *Quintum deniq; ex opere de spiritu & litera, ibi lex extrinsecus est posita, quâ iniusti terreverunt; hic intrinsecus est data, quâ iustificarentur.* Quo loco dicit, ad monitum Bellarmini, hominem iustificari per legem scriptam in cordibus, quæ, ut ipse ibidem explicat, nihil est aliud, nisi charitas Dei diffusa in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.

Quartum & quintum errorem, uti vocat, quâ ratione & quo jure in unum compingat Bellarm. ii videant, quorum est inter, ne cui inferatur iniuria. Nos id saltem nunc attendimus, quod in utriusq; susceptâ refutatione præcipuis impugnamdam sibi sumit *imputationem Iustitiæ Christi*, causis sub examen vocatis, quarum respectu ei Evangelicorum sententia adscribit Justificationem. Inter illas ex ipsorum mente hæc etiam dicit esse, quod Iustitia inhærens non tam sit perfecta, ut simpliciter & absolutè iustificet. At, ita in contrariû scribit Bellar. Iustitia inhærens sive renovatio interior in fide, spe & charitate potissimum sic esse cognoscitur, id enim docet Augustin. in Enchiridio ad Laurentium, & Præfatione in Psal. 31. vel secundû Ebræos 2. Et quidem de charitate, in qua præcipue nostra consistit iustitia, scribit Augustin. in libro de Natura & Gratia, *Ipsa charitas est verissima, plenissima, perfectissimaq; Iustitia.* Et ibidem, *Perfecta charitas est perfecta Iustitia.* Pluribus interpositis rationibus, quibus impugnat imputationem, ordine sextam ponit hæc, quia Christus id nobis restituit, quo J perdidimus in Adamo, ad cuius confirmationem sequentia ex opere August. de Genesi ad litteram adponit: *Recipimus Iustitiam, ex qua per peccatum lapsus est homo.* Et ibid. *In hoc renovamur secundum id, quod amisit Adam, i. e. secundum spiritum mentis nostræ.* Et iterum, *Hanc imaginem in spiritu mentis impressam amisit Adam per peccatum, quæ am recipimus per gratiam Iustitiæ.* Ubi notandum est, scribit Bellarm. in opere retractationum explicari hunc locum ab eodem Augustino, qdî monet, *Imaginem non fuisse omnino amissam, sed tantum deformatam per peccatum, ut opus haberet reformatione.* At, subsumit Bellarm. in Adamo non perdidimus Iustitiam imputatam, nec esse ad imaginem & similitudinem Dei per imputationem, sed veram inhærentem Iustitiam, per quam verè similes eramus Deo. Igitur, concludit Bellarminus per Christum veram Iustitiam Dei; similitudinem, non tantum extrinsecam imputatamq; recipimus.

His

in remissione peccati, partim in perfectione virtutum sita est, magis constare peccati remissione, quam virtutis perfectione, id autem ita esse, manifeste probatur *primò* ex eo, quod dicit, hanc esse veram justitiam propter veri boni fidem, ad quem refertur. Hæc enim Justitia non est Justitia Christi imputata, nec absolutio à peccatis, sed Justitia nobis inhærens, quam dicit esse veram propter veri boni finem, ut eam distinguat à Justitia Philosophorum, quorum opera erant justa ex genere suo, sed carebant recto fine, quia non referebantur ad Deum, cum non fierent ex fide, ut prolixè disputat idem Augustinus in opere adversus Julianum. Nostra autem justitia est vera, quia per eam non solum facimus opera ex genere justa, sed ex omnibus etiam circumstantiis, ac potissimum ex fide. Cum igitur vera sit in nobis justitia, Augustini testimonio, & ea justitia sit virtus infusa divinitus, quomodo diceret Augustinus, justitiam nostram non constare virtutis perfectione, sed sola remissione peccati. *Secundò* idè probatur ex eo, quod in eodem capite paulò infra idem Augustin. dicit: *Hæc itaq; in unoquoq; justitia est, ut obedienti Deus homini, animus corpori, ratio autem vitiiis etiam repugnantibus imperet, vel subigendo, vel resistendo, atq; ut ab ipso petatur Deo & meritorum gratia, & venia delictorum, ac de bonis acceptis gratiarum actio persolvatur.* Ubi vides, inquit Bellarm. Justitiam definiri non solâ remissione peccati, sed etiam perfectione virtutis, quâ Deo pareat ratio, & corpori imperat, & vitiiis dominatur. Cur autem dicat Augustinus Justitiam nostram in hac vita *potius*, id est, magis constare peccati remissione, quam perfectione virtutis, duplex est ratio, *una*, quia peccata perfectè delentur in Baptismo & purgantur, ac nihil omninò remaneat, quod habeat rationem culpæ; Virtutes autem infusæ ita suo quodâ modo sunt perfectæ, ut quotidie magis ac magis debeant perfici, *Alterâ*, quoniam remissio peccati semel facta nõ eget nova virtutù infusione, ac virtus semel infusa eget quotidie novâ remissione peccati, non lethalis, quod cum justitia simul esse non potest, sed venialis. Justi enim, tametsi multa bona & justa faciunt opera, tamè sæpè etiam in levia labuntur peccata & venialia. Atq; hoc est, quod eo in loco potissimum intendit Augustinus. Nam cum dixisset, justitiam nostrâ in hac vita potius constare peccati remissione, quam perfectione virtutis, continud, ut illud probaret, hæc subjunxit verb: *Pestis est oratio tatius civitatis Dei, quæ peregrinatur in terris: per omnia quippe membra clamat ad Deum.* Dimitte nobis debita nostra. *Neq; pro eis efficax est hæc oratio, quorum fides sine operibus est mortua, sed pro eis, quorum fides per dilectionem operatur.* *Quia enim Deo quidem subdita, in hac tamen conditione mortali & corpore corruptibili, quod animam adgravat, non perfectè ratio vitiiis imperat, ideo necessaria est justis oratio talis.* Vides, scribit Bellarminus, justos esse, qui sic orant, ac per hoc egere indulgentia venialium delictorum, quæ justitiam non tollunt è medio; non autem remissione lethali, quæ si committerent justis, hoc ipso justis non essent.

Hæc omnia Bellarminus pro justitia inhærente seu infusione ejus in actu Justificationis, tanquam causâ ejusdem formali, contra imputationem Justitiæ Christi per fidem, quæ ipsam peccatorum remissionem præsupponit; in quorum examine ut eò felicius progrediamur, duo vel tribus verbis sunt præmonenda, *unum*. Evangelicos non omnem justitiam hominis jam justificati inhærentem & in ipso Justificationis actu à Deo infusam negare, quod ut plurimum à parte adversaria nobis præter debitum adscribitur, sed hoc saltem negare, quod illa justitia inhærens & infusa locum causæ formalis in actu Justificationis occupet, quod illi volunt. *Alterum* est, eosdem Evangelicos Justitiam Christi fide adprehensam, & à Deo ex singulari beneplacito imputatam, quæ ipsam simul confert remissionem peccatorum, defendentes, inque ipsa peccatorum privativa partim, partim verò Justitiæ Christi positiva imputatione, quæ utraq; fit per fidem, tanquam donum simul à Deo datum & instar organicalicuius ad hoc opus ordinatum, causam justificationis formalem quærentes, ut ipse hæc brevis expositio docet, non putativâ quâdam & imaginaria superbire iustitia, quomodo per insignem calumniam & perversionem nequissimam sententia ipsorum traducitur, sed veram omninò sequi iustitiam, quâ verior & perfectior inveniri nequit inter homines. Id, uti patet atque justum est, nisi cum larvis pugnare atque aerem ferire velimus, si ritè observetur, plerumque laborem Bellarmini in hac quæstione frustraneum esse adparebit, quod breviter nunc etiam erit ostendendum. Quod igitur adinet *primum* ex capite quinto Epistolæ ad Romanos argumentum, ubi peccatum Adami & Justitia Christi, illud nimirum *ad condemnationem*, hæc verò *ad Justificationem* & æternam salvationem inserviens, sibi invicem opponuntur, malè in ejus explicatione provocavit Bellarminus ad auctoritatem Augustini, hoc Apostoli oraculum contra Pelagianos, quibuscum Evangelicos nihil omninò commune in hac Controversia habere,

lib. 4.

vid. D. Hülf
Dial. Apol.
P. 397.

habere, ex antecedentibus manifestum est satis, negativè defendentis, quod non de sola imitatione sit intelligendum, ut potè quæ sententia nunquam Evangelicis in mentem venit, neque ad hanc quæstionem pertinet, in quâ non de imitatione agitur, sed de imputatione. Ut ræeam, Augustinum hoc ipso in loco, ex quo Bellarminus contra nos militat, habere, quæ ad sententiam Evangelicorum ex Apostoli consensu accedunt quam proximè; ad verba namq; Pauli sequentia, *lex autem subintravit, ut abundaret delictum*, ita scripsit Doctor Augustus: *Hoc ad originale homines addiderunt voluntate jam propria, non per Adam: sed hoc quoq; solvitur sanaturq; per Christum, quia, ubi abundavit peccatum, superabundavit & gratia, ut quemadmodum regnavit peccatum in mortem, etiam quod non traxerunt ex Adam homines, sed sua voluntate addiderunt, sic & gratia regnet per justitiam in vitam æternam.* Non tamen aliqua (NB.) *justitia præter Christum, sicut aliqua peccata præter Adam.* Ideo cum dixisset, quem admodum peccatum regnavit in mortem, *hic non addidit, per unum, aut, per Adam, quia dixerat etiam supra de illo peccato, quod lege subintrante abundavit, & hoc utiq; non est originis, sed jam propriae voluntatis: cum autem dixisset, sic & gratia regnet per justitiam in vitam æternam, addidit, per Jesum Christum Dominum nostrum, quia generante carne illud tantummodo trahitur, quod est originale peccatum, regenerante autem Spiritu non solum originalis, sed etiam voluntariorum peccatorum sit remissio.* Ex his Augustini verbis manifestum est satis, ut ut aliquam inter peccatum ab Adamo & justitiam à Christo agnoverit convenientiam ex Apostoli sententia, non tamen omnimodam, sed cum aliquo etiam discrimine conjunctam, quod contra Bellarmini & aliorum Glossam hic venit notandum, per quam exinde conantur exculpere, quia peccati ratio Adamigenis post lapsum est intrinseca & inhærens, ista fidelibus Christi justitiam quoque ex ejusdem gratia etiam esse intrinsecam & inhærentem, dum diversum peccati quoque respectum à Paulo indigitatum ostendit Augustinus, alium videlicet originalis ab Adamo peccati, alium verò eorum peccatorum, quæ voluntati propriae adscribit, omnem verò gratiæ respectum per justitiam in solidum Christo adtribuens, suam videlicet justitiam nobis per fidem imputanti, quâ impetramus remissionem omnium peccatorum, & originalis, & quæ propria voluntas superaddidit.

De usu verbi *justificare*, quo videlicet sensu Augustinus eo utatur, melius judicari non potest, quam ex doctrina ejus constanti, quam ubiq; professus est, & quod peculiariter adinet loca, ex integro textu, qui lucem semper præbet certissimam, neq; Lectorem sinit esse ambiguum, quod ex evolutione lex quoque testimoniorum, quæ in medium produxit Bellarminus, nunc ordine suo patefiet. Primum certè est tale, quod si Bellarminus integrum adspexisset aut ritè ponderasset, vix in acie prima illud collocare fuisset ausus. Explicat nimirum ibi sanctus Pater locum Apostoli ex antecedente quarto Epistola ad Roman. capite de tota hac quæstione elasticum, cum inserta brevi Glossa, hunc in modum: *Credenti in eum, qui justificat impium, quid est, qui justificat impium, qui ex impio facit justum) deputatur fides eius ad justitiam.* Non dissentunt hic Evangelici ab Augustino, quod justificare pro eodem habet, ac justum facere, alias dissentendum ipsis esset etiam à Versione *Lutheri* Germanica, quæ in eundem translulit sensum. Verum exinde non sequitur, Deus in justificatione ex impio facit justum, ergò justum per justitiam intrinsecam, *infulsam* & inhærentem, & non potius per *imputationem*, quam verò rationem expressè Paulus, & ex eo Augustinus indicat. Secundum ex opere de peccatorum meritis & remissione, eo quidem in loco, quem Bellarminus indicat, iidemq; verbis non legitur. In capite autem antecedente, nimirum trigentesimo & secundo, ubi explicantur Christi verba de officio Spiritus Sancti, elenchico, arguentis mundum de justitia, ita scripsit inter alia sanctus Doctor: *Quæ est ista justitia, nisi ut justus ex fide viveret, & non respicientes, quæ videntur, sed quæ non videntur, spiritum ex fide spem justitiæ expectaremus? Nulla hic mentio justitiæ inhærentis, sed justitiæ ex fide, quam profitentur Evangelici. Tertium ex opere de Spiritu & litera rem adhuc claris declarat, si citatis à Bellarmino verbis & antecedentia quæ dâ & sequentia jungamus. Explicat ibi Pater Augustus verba Apostoli & cap. 2. eiusdem ad Roman. Epist. quibus factores legis, non auditores dicuntur justificari, ostendens, quo hæc Paul. scripserit sensu: *Sic intelligendū est, factores legis justificabuntur, ut sciamus, aliter eos non esse factores legis, nisi justificentur, ut non Injustificatio factoribus accedat, sed factores legis Injustificatio præcedat. Ac per hoc tantundem est, ac si diceretur, factores legis creabuntur, non quia erunt, sed ut sint, ut sic intelligerent etiam iudei legis auditores, indigere se gratia justitiae Injustificatoris, ut possint esse factores. Aut certè ista dictum est, justificabuntur (Arrogate aures, Bellarmini detentes)**

fores) ac si diceretur *justi habebuntur, justi deputabuntur, sicut dictum est de quodam ille autem volens se justificare, id est, ut justus haberetur & deputaretur.* De sensu verborum Pauli nunc non agimus, sufficit, Augustinum eo in loco, ubi Bellarminus justitiam quæsitivam inhærentem, Evangelicis commendasse imputatam. Quartum quoque ex Epistola post centesimam quinta se ipsum ex Apostolice mente explicat, modò non decurritur, sed totum sibi relinquatur, quod ita habet cum quæstione & responsione: *Nullane sunt merita justorum? sumi planè, quia justus sunt. Sed ut justus fierent, merita non fuerunt; justus enim sunt facti, cum justificati sunt, sed (NB.) sicut dicit Apostolus, iustificati gratis per gratiam ipsius.* Et post aliqua *ista est gratia per Dominum nostrum Iesum Christum.* Et iterum: *quid meriti boni habere possunt peccatores? sed nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo est merito, si fides hanc impetrat; neque enim nullum est fidei meritum.* De qua utraque loquendi formula paulò ante & supra jam dictum est, de posteriori etiam infra suo amplius agetur loco. Id nunc saltem noceat, quod remissio peccatorum, quam gratiæ, nulli certe alii, quam justitiæ adscribit, ab Augustino dicatur impetrari per fidem, non per justitiam inhærentem, quasi causam justificationis formalem, de qua altum est in hac Epistola silentium. Idem de quinto etiam testimonio dicendum ex Epistola sequente, ubi verba à Bellarmino citata sensu pleniore sic leguntur: *Si aliquid boni operatur homo, ut gratiam mereatur, non ei merces imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* Si autem credit in eum, qui iustificat impium, ut deputetur Fides eius ad Justitiam, (Justus enim ex fide vivit) *profectò antè quam gratià iustificetur, ut justus efficiatur impius, quid est nisi impius? Quem si debitum sequeretur, quid eius merito, nisi supplicium redderetur?* Iterum inculcat ex Apostolo imputationem fidei, Christi videlicet iustitiæ amplectentis, nullà omnino iustitiæ inhærentis mentione factà, quam prætermittere non potuisset, si opinionem Bellarmini & sequacium suo consensu firmare voluisset. Sextum denique idem ex Epistola post centesimam vigesima inculcat, quod verba à Bellarmino iterum pro more brevitate satis luculenter indicant, quæ ex eisdem Pauli sententia scripsit de his, qui *iaculant se de semine Abrahamæ, semen Abrahamæ fieri noluerunt, ut essent filii, promissionis, h. e. Gratiæ & Misericordiæ, ut qui gloriatur, in Domino gloriatur, credens in eum, qui iustificat impium, h. e. qui ex impio factus pius, ut deputetur fides eius ad Justitiam.* Ecce hic quoque imputationem fidei, quam in omnibus his Augustini testimoniis omisit Bellarminus, fraude non pia & iusta, sed quam maximè impia & injustissima, Lectori veram Augustini mentem tegeas, ac aliam planè eidem adtingens. Quamvis enim, in tertio præsertim testimonio, & alibi etiam scripsit Augustinus, Deum in justificatione homini gratiam largiri, *ut sine justis, qui ante erant iniusti, & legis factores, qui ante erant peccatores, simul tamen quoque indicat non obscure, sed apertissimè, non describere se his verbis causam iustificationis formalem, de qua controvertitur, sed finalem, quã Evangelici Augustino imo ipsimet Paulo consentientes, ultrò etiam concedunt & largiuntur, quod cum cæteris hæcenus dictis observasse, contra fraudulentam Bellarmini disputationem interservit non parùm, uti ex sequentibus quoque adparebit; quamvis ad secundum pro justitiâ inhærente argumentum Bellarmini, prolixo non sit opus responsò, utpotè quod repeti potest ex supra dictis ad Controversiam, an *charitas sit virtus creata?* ubi de loco Pauli, quo chari-*

Rom. 5.

tatem ex parte hominis activam & Deum pro objecto habentem intelligentis, actum & uberius, nunc postea, & quæ *Gerhardus* noster diligentissimus ex variis interpretibus Papisticis ab Augustini mente hic liberrimè discedentibus, atque ad aliorum Ecclesiæ Doctorum unanimem ferè consensum de ipsa Dei erga nos homines charitate provocantibus collegit, id tantum ex abundantia insuper addi potest, *Esthim* inter recentiores celebratissimum in Commentario existimare, *pro sensu Augustini non contentiosius certandum esse, quod nunc quidem contra Bellarminum satis esse potest.* Sequitur examen testimoniorum, quæ ex omnibus operum Augustini Tomis collegit Bellarminus prolixissimè, nobis in compendio ostenturis, eum & hic lavasse laterem, parumque, quod ad rem ipsam pertinet, in medium & aciem produxisse. Et quidem, quod ex primo adtulit Tomo, atque ex opere *Confessionum*, ostendit, eum inter delicias, quas *Ager Tusculanus* ei liberaliter suppeditavit, communissimæ aliàs & receptissimæ distinctionis Philoſophiæ inter causam & effectum, quæ ipsi in Philoſophicis versato non potuit esse incognita, in hac quæstione oblitum fuisse, eam videlicet justitiam, quam Augustinus expressè tanquam effectum justitiæ justificantis describit, loco formalis causæ proponendo, quod à tanto Disputatore factum non oportuit. Quod ex secundo, Epistola nimirum post octogesimam quinta, adduxit, itidem

itidem non ad ipsam Justificationem, sed Justificationis consequens juxta nostrum
 considerandi modum pertinet, eam videlicet hominis jam justificati Justitiam, quæ
 ex Apostoli sententia eum vult renovari in novitate Mentis. Quod è *tertio* habet
 Tomo, & quidem ex opere de *Trinitate*, Justitiam in hærentem, tamquæ Justificationis
 causam formalem, nil juvat. Quamvis enim dicat Augustinus, naturam hominis per
 Justificationem à *forma deformi in formam formosam transferri*, quod Evangelicis non
 est adversarium; non tamen dixit, Justificationem fieri per infusionem Justitiæ inhæ-
 rentis, aliàs verba longè aliter formari debuissent; neque etiam eam dixit formosissi-
 mam & perfectam, sed formosam tantummodò, addens ex ejusdem Apostoli mente,
 nos, videlicet jam justificados & in Christum credentes, *Revelatà facie Gloriam DEI*
speculantes in eandem Dei Imaginem, de quæ ante, *transformari de Gloria in Gloriam*, ist est,
de Gloria Fidei (NB. non dicit de Gloria Justitiæ, sed Fidei) *in Gloriam speciei*, de Gloria,
quæ filii Dei sumus, in Gloriam, quæ similis ei erimus, quoniam videbimus eum, sicut est.
 Et quia Bellarminus iteratò provocat ad opus Augustini de *Spiritu & Litera*, quod in
 eodem tertio operum Tomo exhibetur, & in quo charitas Dei, quæ videlicet homo ju-
 stificatus Deum dicitur diligere, (adeo que ad causam Justificationis formalem referri
 non potest vel debet) diffusa dicitur in cordibus, hic nihil aliud observandum restat,
 quàm ineptissimam esse Bellarmini consequentiam, quæ tanquam ex Augustini men-
 te argumentatur, quia Charitas est diffusa in cordibus, quæ facit, ut lex impleatur,
 ergò charitatem, quæ legem implemus, esse justitiam, quæ justificamur; quod idem est,
 ac si scripsisset, consequens alicujus rei, vel effectum & causam finalem esse causam
 formalem, quod si non est confundere causas, nescio, quid sub hoc accusationis capi-
 te posthac venire possit aut debeat. Ex *quarto* nunc sequitur Tomo opus ad *Simplicia-*
num, unde iterum verba quædam detruncat Bellarminus, quibus si addantur proximæ
 antecedentia, ratio argumentationis, quæ ut us est Augustinus, erit manifesta, quæ
 ex verbis à Bellarmino citatis est obcurior aliquanto. Hæc autem ibi præcedunt: *Non*
secundum electionem Dei propositum manet, sed electio ex proposito. Id est: Non quia Deus in-
venit opera bona in hominibus, quæ eligat, ideo manet propositum Justificationis ipsius; sed
quia illud manet, ut justificet credentes, &c. Conferantur hæc, & adparebit, quam incon-
 sequenter Bellarminus à bonis operibus tanquam Justificationis effectu concludat ad
 Justitiam in hærentem quasi causam Justificationis formalem; quod satis superque etiam
 constare potest ex verbis, quæ Bellarminus ex eodem opere non procul sequentia ad-
 duxit, ut potè idem apertissimè indicantia, ac Evangelicorum sententiam de Justifica-
 tionis causa finali luculenter confirmantia, nisi quod Bellarminus vi quædam ex eisdem
 voluit elicere, quod Glossæ loco adposuit, *Justitiam, quæ justificamur, esse ex Augustini*
mente Fidem & Charitatem, quæ sit ipsa facultas operandi bene; cujus tamen posterioris
 ne umbella quidem adparet, sed solum prioris, id est, Fidei tanquam doni à præceden-
 te Dei Misericordia provenientis facta est mentio. De Sententia ex operum Tomo
quinto, & quidem ex opere de *Civitate Dei* dictum est supra in *Examine* Questionis de
Fidei justificantis objecto, & breviter ostensum, agere ibi Doctorem sanctum non de lu-
 stitia, quæ justificamur, sed quæ justificati Deo ex debito ad nutum Voluntatis suæ,
 quantum in viribus est, inservire student, ejus ordini sanctissimo obedientes se subji-
 cientes. *Sexto* Tomo producit Bellarminus librum Augustini de *heresibus*, ejusdemque
 caput ultimum in editione hæctenus recepta, (recentior enim *Sirmondi* editio adjicit
 capitula duo) ubi contra recentem ac suo tempore ortam Pelagianorum hæresin, *Dei*
gratiæ inimicam agit Pater Augustus, eam in genere, non justificam solummodò in spe-
 cie, commendans, quæ videlicet *prædestinati sumus in adoptionem filiorum* per Jesum
 Christum, & *quæ eruiamur de potestate tenebrarum,* & *quæ diffunditur charitas in cordibus*
nostris, &c. Bellarmino, quæ Augustinus ad mentem Pauli accuratissimè distinctam
 unum Chaos conjiciente & confundente, ut nimirum in turbido pro more eò felicius
 piscari, atque incautum Lectorem ad suas possit partes trahere, fraude iterum minus pia,
 sed piscatoria. Quæ *septimus* suppeditat Tomus ex opere de *peccatorum meritis & re-*
missione, itidem sistunt gratiam Dei in genere, non justificam in specie, neque ingerunt
 justitiam in hærentem, sed solummodo *occultam* vocant ejus *communicationem & inspi-*
rationem, quia formale ejus minimè occurrit in oculos hominum, aut aliis sensibus ex-
 ternis percipitur, sed fide tantum, ut potè, quod sæpè hæctenus inculcatum, in instrumen-
 to ad id divinitus ordinato. Quo accedunt ex ejusdem Tomo opere de *Natura & Gra-*
tia, præsertim quod ultimum ejus caput de *inchoata, provecita & perfecta* actine justiti-
 tia, non semel in hac & antecedente Controversiâ occurrerunt, adeoque novum non
 de hęc.

desiderant responsum: Ad octavum igitur Tomum progredimur, ac Enarrationes Augustini in Psalmos, è quibus duo profert testimonia Bellarminus. *Priori* hanc adscribit Glossam, quasi docuerit Doctor Augustus, *nos justificari per Iustitiam, quæ sit virtus inherens.* Verùm uti hoc è verbis à Bellarmino citatis non potest per ullam erui consequentiam, ita proximè sequentia aliud longè docent, quæ sic habent: *Facit ergo Iustitiam, id est, opus Iustitiæ, qui habet in se Iustitiam, id est, opus Gratiæ.* Non potuisset manifestius distinguere Augustinus inter opus gratiæ, videlicet divini, ex qua est Iustificatio nostra, & inter opus Iustitiæ, nimirum humanæ, quæ illius est fructus & effectus; nullâ omninò mentione factâ causæ *formalis*, per quam homo verè coram Deo dicitur justus & iustificatus: In *posteriori* mentionem facit quidem Augustinus *Iustitiæ in nobis*, sed non tanquam propriæ, verùm alienæ, quod indicat verbis, quæ ex medio abesse voluit Bellarminus: *De Christo autem est dictum, qui iustificat impium.* Quæro, per quam Iustitiam? ane nostram? vix audebit hoc adfirmare quicumque, nisi impudentissimus. Ergò alienam, & quidem non aliam, quam suo merito, suâ obedientia tam activa quam passiva impetratam, quod Paulus & ex eodem quoque Augustinus sæpiusculè inculcavit. Testimonium ex *novo* operum Tomo & expositione in Johannem, uti pleraque hætenus, aliquâ sui parte est mancum. Meminit Augustinus ibidem loci alicujus Apostolici, quo Iudæos acculat, *quod ignorant DEI Iustitiam, & suam volentes constituere, DEI Iustitiæ non sint subiecti.* Hæc occasione quærit, quæ sit Iustitia DEI, de qua Paulus agit, & quæ sit Iustitia hominis. Priorem responsi partem dedit Bellarminus, ego posteriorem subjungo: *Qua autem erat illorum Iustitia? qui de suis viribus præsumebant, & quasi impletores legis se ipsas ex suâ Virtute dicebant?* Hanc quidem minus necessariam duxit Bellarminus, quæ tamen non debuit omitti, ne Patris sancti responsum ad propositam quæstionem maneret imperfectum. Quamvis enim ex adductis putavit argumentum sibi paratum esse, falsus est tamen, & Lectorem fefellit, quia nullum de inherente Iustitia in illis verbulum legitur. Quod atinet denique testimonium ex *ultimo* operum Tomo & sermonibus de *Verbis Apostoli* delatum, commendat illud quidem, ut etiam proximè antecedens, *Iustitiam à DEO datam*, verùm non addit, quod per illam, tanquam *formalem* causam, homo pridem injustus fiat justus coram DEO, sed potius expressè meminit *Fidei*, tanquam causæ instrumentalis, per quam juxta ordinem Divinum homo iustificatur, cujus etiam sæpius in toto Sermone, ad quem provocat Bellarminus, ex Apostolo mentionem facit, atque sic Evangelicorum Sententiæ accedit. Posset id quidem pluribus ostendi, nisi ex hætenus productis res videretur aperta satis, & nunc ad alia progrediendum esset.

Agit enim porrò Bellarminus contra eas Evangelicorum Sententiæ, quæ *inherenti Iustitiæ* opponuntur, de quibus etsi tanquam de diversis loquitur, indicatum est tamen supra, esse eas sibi invicem sub & coordinatas, ita ut absque omni contradictione possint, imò debeant simul stare, & nulla ab alterâ divelli aut separari, quamvis in gratiam ordinis à Bellarmino observati consultum videatur ita Examen instituisse porrò, ut quòd ad quamvis earum in specie objecit ex Augustino, quam brevissimâ licebit Censurâ perstringatur, ac Veritas uberius ad mentem Sancti Doctoris defendatur. Quod igitur attinet primam *Lutheri & Melanthonis* de Fide Sententiæ, quam Sensu quodam latiori descriplerunt tanquam Iustificationi formam, quatenus nimirum causa Instrumentalis ad Formam rei inferendam in ipso actu concurrat, ea, quæ Bellarminus opponit eidem partim à Scripturâ partim ex Augustino, ad eò nullum faciunt præjudicium, ut potius multum conferant subsidium. Nobis nunc iterùm ad Augustinum tantummodò erit respiciendum ex Instituto, cui in explicacione oraculi ex Epistolâ ad Galatas Paulini duplicem adscribit Sensum Bellarminus, an ex fide sincerâ, judicabit Lector eruditus, ubi ipsa Doctoris Sancti verba ex opere de *Spiritu & littera* conferet & ponderabit, quæ ibi inter alia Fidei salvificæ Elogia hæc sunt: *Hæc est Fides, qua impetratur largitas Spiritus, de quo dicitur nos Spiritu ex Fide Spem Iustitiæ expectamus; ubi quidem queri adhuc potest, utrum Spem Iustitiæ dixerit, qua sperat Iustitiæ, an qua speratur ipsa Iustitiæ, quoniam Iustus ex Fide vivens sperat utique Vitam æternam.* Bellar. addit, quasi ex Augustini Sententiæ, *quæ est merces Iustitiæ*, quod tamen hic August. non habet, verùm proximè sequentia: *Itemque Fides esuriens Iustitiæ, Iustitiæ, renovationem de die in diem interioris hominis, proficit in ea & sperat in ea satiari in Vita æterna.* Fateor ingenuè, me in hisce verbis Augustini nihil omninò observare, quod *Lutheri & Melanthonis* Sententiæ jure possit opponi, modò utriusque Mens ritè intelligatur. Eadem est ratio cæterorum trium ex Augustino testimoniorum, quibus oppugnare eam suscepit Bellarminus, id quod ingenui Lectoris partium non studiosi iudicio lubens, ipsius etiam locis, unde perhibentur desumpta, non inspectis committo, cum ipse

verborum tenor tam perspicuus sit, ut sine prolixâ ponderatione ostendat, ad quas debeat referri partes. Quam vero interserit argumentationem contra Evangelicos, hypothesebus nunquam concessis utitur, dum de Fide præsertim supra fuit observatum esse Fidem tale Dei donum, quod homo in ipso Justificationis actu simul accipiat à Deo, neq; in eodem aliter respici, quàm quatenus imputatam Christi Justitiam & hinc remissionem peccatorum amplectitur & adplicat, ut adeo consequentia Bellarmini è principis non benè intellectis deducta sit planè inconsequens, ac nullius omninò valoris. Tertius verò locus totius hætenus occurrit, ut ejus meminisse tantùm, Lectori non immeritò videri possit creare aliquod fastidium & nauseam.

Inter hæc dum meminit receptæ inter suos distinctionis & divisionis Fidei in *formatam* & *informem* eamque ex Augustino etiam firmare nititur, ita ut Charitas sit & dicatur fidei *Forma*, nomine & autoritate Augustini abutitur, eaq; Doctori Sancto adscribit, quæ ibi non leguntur, ubi juxta citatione Bellarminianam legi debebant. Hæc quidè habet, ut dicat, *ubi Dilectio est, ibi necessario Fides & Spes est*, loquens nimirum de verâ & sincerâ charitate tanquam fructu Fidei, quæ scilicet Fides, Spes proximè post se trahit, aut comitem à latere agnoscit. Desiderantur autem ibi, quæ tamen Bellarm. quasi ex Augustini mente adducit *Summam religionis Christianæ redigi ad charitatem, non ad Fidem; nec omnem, qui credit continuo etiam sperare & diligere*. Neq; etiam potuit ista scribere Bellarminus, Quid enim? Credendumne est, Patrem augustissimum religionis Christianæ summam ad charitatem, & non potius ad Fidem redegisse, ex cujus constanti Sententia ad præcedentem Controversiam est demonstratum, hominem justificari coram Deo, & sic etiam salvari, solâ Fide? Si de Vita hominis christiani, quatenus in aliorum incurrit oculos, esset Sermo, posset id Sanâ ratione concedi, ut potè quod sit per opera charitatis. At de Summâ religionis christianæ loqui, aliquid amplius requirit, & hic plus ultra eundem est, neq; in solis operibus charitatis subsistendum. Ita etiam non potuit scribere August. quod tamen scripsisse Ipsum vult Bellarminus, quod non omnis, qui credit, continuo etiam speret atq; diligit, nisi de fide hypocriticâ & æquivocè sic dictâ locutus esset. Ad quem verò modum & quo sensu etiam non poterit in universum dici, *ubi Dilectio, ibi etiam Fides*, quia ii etiam non raro se invicem diligere dicuntur, qui tamen verâ & salvificam destituuntur Fide, ut adeo singulari hic opus sit cautione, ne Fidei vel charitati aliquid adscribamus vel denegamus absolutè, ubi distinctio certa venit adhibenda. Hoc ad minimum constat exinde, distinctionem inter Fidem *formatam* & *informem* sensu Papæo acceptam hoc Augustini testimonio non firmari. Quod verò Evangelicis, opera charitatis ad legem referentibus, atque sic ostendentibus, quod in Justificationis negotio nullum habeant locum, neque Fidem justificam faciant ex informi *formatam*, sed potius à Fide discernantur, uti fructus ab Arbore, Bellarminus opponit urgendo, Fidem quoque eâ ratione pertinere ad Legem, quâ Charitas opera, ut potè præcepta in lege, quia secundum Augustini verba, quæ ex eodem opere, quo proximè antecedentia, citat Bellarminus, *de Fide etiam multa sunt mandata*, non id est contra Evangelicos, facile concedentes & docentes, Fidem mandari à Deo in primo Legis Decalogicæ Præcepto, in actu Justificationis autem non considerari eam legaliter, & prout est opus bonum, sed Evangelicè, prout est Dei donum, ac quod sæpè hætenus debuit moneri, ordinatum à liberimâ Dei omnia liberè disponentis manu organum, quo in adplicatione Gratix & gratiâ imputatione Meriti & satisfactionis Christi è parte ipsius hominis justificandi voluit uti Deus, quem ad modum Medicus utitur manu ægroti medicinam, vel Dives manu mendici Eleemosynam recipientis, ut ut Deus habeat necessum, hominis justificandi manum in se mortuam ac impotem ad recipiendum facere vivam, id est, ipsam Fidem, tanquam Donum singulare largiri, sine quâ homo, ordine divino semel constituto, esset omnino inidoneus ad hoc negotium.

Pergendum nunc est ad Examen illorum *quinq;* testimoniorum, quibus ex Augustino evincere conatur Bellar. ipsam *renovationem* Justitiam esse dicendam, non *Justificationis effectum*. Et primum quidem ex Epistola post centesimam quinta agit, uti antecedentia testantur & consequentia non tam de Justificationis initio sub initium nostræ Conversionis, quam de ejusdem continuatione, ac uti loquuntur Papæi Doctores, Justificatione secundâ, de quâ tamen hic sermo non est. Antecedentia sunt hæc: *Neque ab illo, quod originaliter trahitur, neque ab his, quæ unusquisque in vita propria vel intelligendo, vel nolendo intelligere mala congregat, vel etiam instructus ex lege additamento prævaricationis exagitat, quisquam liberatur & justificatur &c.* Sequentia autem post verba adfectu, & effectum hæc sunt, *donec sanet omnes nostros languores, & redimat de corruptione, vitam nostram & coronet*

net nos in miseratione & Misericordia. Utraque tatis aperte significant, Augustino hic loci non tantum esse Sermonem de Justificatione, quo sensu in hac ipsa Quæstione sumitur, sed de toto tempore Christianismi hujus Vitæ temporalis, usque dum ad perfectam & consummatam pervenire licebit Justitiam. *Secundum* ex Enchiridio testimonium agit quidem de Justificatione, quæ una est actio, sed tamen duabus absolvitur partibus, quod ante monui unâ, quæ dicitur privativâ & consistit in gratuita remissione peccatorum, alterâ autem uti dicitur, positivâ, & consistit in Justitiæ Christi imputatione Augustino hic ad utramque partem respiciente, uti verba præ se ferunt non obscure. *Tertium* ex opere de peccatorum meritis & remissione testimonium, uti primum, præter ipsam Justificationis gratiam insuper etiam commendat gratiam renovationis sub Elogio *Justitiæ*, hominem justificatum ita gubernantis, ut par etiam, quin imò superior esse possit tentationibus Sathanicis, quibus in Ecclesia militante cogitur adhuc esse subjectus; atque idèò notanter in antecedentibus vocat *abundantiam Gratiæ & Justitiæ*, Gratiæ nimium justificantis & Justitiæ renovantis, utramque non inter se confundens, sed potius accuratissimè distinguens & sibi invicem subordinans. *Quartam* è Sermonibus de Verbis Apostoli itidem illuc respicit, ubi Justitiam hominis justificati *crecere* significat, in proximè sequentibus illud uberius explicans hoc modo: *Ut unusquisque jam in ipsa Justificatione constitutus, acceptâ scilicet remissione peccatorum per Lavacrum regenerationis, accepto Spiritu Sancto, proficiens de die in diem, videat ubi sit, accedat, proficiat & crescat, donec consummatur, non ut finiatur, sed ut perficiatur.* In quibus Augustini verbis particula causalis *ut* sufficienter indicat, Sermonem non esse de causâ Justificationis formali, sed finali, adeò ut nullus Glossæ Bellarmini sit locus, quia non de incremento remissionis peccatorum, sed Justitiæ & gratiæ renovantis agitur. *Quintum* denique ex opere de Spiritu & literâ comparat vel potius distinguit Legem Decalographicam in Monte Sinai reperitam cum vel à Lege Evangelicâ per Spiritum Sanctum Adostolis, & eorum ministerio aliis datâ, de quâ iterum in sequentibus scribit, *cum ipsa Charitas diffunditur in corde credentium, Lex est Fidei & Spiritus vivificans dilectorem.*

Porro, quæ contra ipsam Justitiæ Christi *imputationem*, quam propriè & positivè causam Justificationis *formalem* esse dicunt Evangelici, ejusque potissimam rationem ab *imperfectione inhærentis Justitiæ* desumptam, urget Bellarminus, ad *Fidem Spem & Charitatem* provocans, in quibus Justitiam inhærentem consistere ait, Augustino iterum ad partes vocato; non video, quâ ratione Evangelicorum Sententiæ aliquod inferant incommodum, aut eam è medio tollant. Locus certè ex *Enchiridio ad Laurentium* à Bellarmino citatus iterum non agit de Justificatione, sed totâ ratione Christianismi, atque omnibus illis, quæ ad cultum DEO ex debito præstandum requiruntur, de quibus ibidem disputat prolixissimè, nullâ Justificationis expressâ mentione factâ. Eadem est ratio Præfationis in Psalmum trigessimum & primum, in quâ quidem Augustinus ex Apostoli mente *Fidem Spem & Charitatem* recenset, sed non alium in finem, quàm ut ostendat, quænam sint illâ, quæ ad hominis justificati debitam pertineant obligationem, ne Gratiâ Justificationis à DEO frustra videatur accepisse, quam in eadem præfatione per exemplum Abraham ita exposuit, ut hætenus non unum Evangelicis, ipsomet ut plurimum indice Bellarmino, suppeditaverit ad defensionem Imputationis Justitiæ Christi argumentum. De testimoniis ex libro de *Natura & Gratia*, quæ Bellarminus non sine nausea Lectoris sæpè hætenus inculcavit, agere non est opus, cum eorum mens & Sensus huc omninò non pertineat, uti pleraque ex antecedentibus, à Bellarmino tantum idèò prolatis, ut speciem Lectori præbeat autoritatis Augustinianæ, utur magis faveat Evangelicis, quod ex dictis dicendisque porro constat. Ad rationem *Sextam* Imputationis Justitiæ Christi oppositam, præter ea, quæ supra de *Imaginem DEI & Justitiæ originali* sunt observata ex Augustino, nunc illud singulariter notandum venit, quod Sanctus Doctor non omnimodam comparisonem inter Justitiam amissam & restitutam instituit, sed certo quodam modo descriptam, nec etiam huic tantummodò eam adscribit, Seculo, sed etiam, ac præprimis quidem futuro. Testantur de eo iterum & antecedentia & consequentia. In antecedentibus expressè hanc formavit Quæstionem: *Quomodo renovari dicimur, si hoc non recipimus, quod perdidit primus homo, in quo omnes moriuntur?* Et respondit, *Hoc planè recipimus secundum quendam modum, & non reperimus secundum quendam modum.* Hoc generale responsum sufficere potest ad limitationem objectioni Bellarminianæ adhibendam. In sequentibus autem post ea, quæ Bellarminus adduxit, ostendit aperte, quod primariò ad futuram restitutionem sit re-

spiciendum, scribens: *Renovabimur à vetustate peccati, non in pristinum corpus animale, in quo fuit Adam, sed in melius, id est, in corpus spirituale, cum efficiemur aequales Angelis DEI, apti habitationi caelesti, ubi aëta, quæ corrumpitur non egebimus. Renovabimur ergò spiritumens nostra secundum imaginem ejus, qui creavit nos, quam peccando perdidit Adamus.* Eadem mens est Augustini in cæteris, ad quæ Bellarminus provocat, testimoniis, ex quibus manifestum est, quod Pater Augustus renovationem in hoc Seculo agnoverit imperfectam perficiendam in futuro, ut ita sufficiens minimè possit videri ad negotium Justificationis, perfectam ex aëte & omni parte Justitiam requirentis; quæ quia in homine mortali non est, maximæ Christo DEI Filio debentur gratiæ, quod suam nobis, ut potè plenam & Justitiæ legali satis abundanter facientem imputat, ut propria delicti, hac per Fidem induti, coram Patre nos sistere ac tribunali ejus justissimo consistere possimus.

Nunc vindicanda sunt argumenta contra in hærentem Justitiam pro imputatione Justitiæ Christi, quorum primum suppeditat Paulus è Psalmo Davidis post trigésimum secundo, circa cujus solutionem Bellarminus iterum ad eò impudenter se gessit, ut impudentius non potuerit, provocans ad explicationem Augustini, qui tamen & hic totus noster est, quod verba ejus, undè fraudulenter pauca quædam excerpit luculenter demonstrant, plucula quidem, sed quæ Evangelicorum Sententiæ accedunt quam proximè: *Beati, quorum remissa sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata, non iniquibus peccata non sunt inventa, sed quorum tecta sunt peccata. Cooperata sunt peccata, & tecta sunt abolita sunt.* Quomodo abolita? *Si texit peccata DEVS, noluit advertere; si noluit advertere, noluit animadvertere; si noluit animadvertere, noluit punire, noluit agnoscere, maluit ignoscere Pergit.* Ne sic intelligatis, quod dixit, *peccata sunt cooperata, quasi sint ibi, & vivant.* Hæc Bellarminus putavit omnimodam peccatorum in homine justificato abolitionem inferre, & non observavit, particulam aliàs copulativam & hic habere sensum quandam causalem instar particulæ ut, quasi scripsisset Augustinus, *sint ibi, ut vivant,* vel potius Mortem post se trahant, uti proximè sequentia hunc Sententiam faciunt satis manifestum: *Tecta ergò peccata quare dixit? Ut non viderentur. Quid enim erat DEI videre peccata, nisi punire peccata?* Atque hæc Explicatio Mentis Platii regii tam est propria, ut suum quoque calculum adicere fuerit coactus, celeberrimi singularium Author, Martinus de Roa, Cordubensis Bellarmini in ordine Lojoltico Socius, ad laudata Davidis verba hæc scribens; *Nulla viris major contingere felicitas potest, quam ut DEVS sibi velamen oculorum obtendat, ne eorum peccata respiciat, nimirum ad imputationem, in vindictam; sed perinde ad illa se habeat, quasi non videat, ob veniam & condonationem, quod proximè Regius Vates explicuit, dicens, Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum. Itaque non imputare, est tegerere, & non videre, pro eodem habentur.* Quæ ibidem pluribus parallelis Scripturæ dictis egregie illustrat, tanquam conductus Sententiæ Evangelicorum Advocatus, & hac in parte Confessor Veritatis egregius. Neque hæc solum, verùm cætera etiam Augustini verba, quæ Bellarminus ex eadem Enarratione pro se adducit, nobis interserviunt. In comparationem videlicet adduxit Sanctus Doctor Phariseum publicano penitenti oppositum, atque post plura de eo & inter alia sic scripsit: *Sana ostendebat membra, vulnera tegerat: DEVS ergò tegerat vulnera, noluit. Nam si tu tegerere volueris erubescens, Medicus non curabit. Medicus tegerat & curaret, emplastro enim tegit. Sub tegmine Medici sanatur vulnus, sub tegmine vulnerati celatur vulnus. Cui celas? qui novit omnia.* Si hæc ritè percipiuntur, quale nimirum sit discrimen inter vulnera peccati à DEO, vel ab ipsis hominibus tecta, nullum super amplius erit dubium, quin hac etiam comparatione Augustinus Evangelicorum excellens Sententiam.

Ad quartum ex eodem Paulo pro Imputatione argumentum Bellarminus iteratò Lectorem ablegat ad opus Augustini de peccatorum meritis & remissione, ex quo tamen ab initio harum pro Imputatione vindiciarum Sufficiens est ostensum, in quo Adamus & Christus ratione peccati & Justitiæ conveniant ex Apostoli Sententia non modò, sed etiam differant. Nunc id saltem venit observandum, etiam si in loco, ad quem Bellarminus intendit digitum, Augustinus utatur verbo *infundamti* non id tamen eo fieri Sensu, quem hic fingit Bellarminus, indeque in hærentem Justitiam exculpere conatur, per quam verè coram DEO justificemur ac iusti dicamur, sed eo potius, quem intelligunt Evangelici, ipsismet verbis hoc

Psal. 32.

T. II. l. III. cap. 5.

hos indicantibus, quæ sequentia sunt: Sicut Ille, in quo omnes vivificabuntur, præterquam, quod se ad iustitiam imitari vultibus præbuit exemplum, dat etiam sui Spiritus occultissimam suam fidelibus gratiam, quam latenter infundit & parvulis; Sic & ille, in quo omnes moriuntur, præterquam, quod cū, qui Præceptum Domini voluntate transgrediuntur, imitationis est exemplum, occulta etiã tãbe carnalis concupiscentia sua tabificavit in se omnes de sua stirpe venientes. Nemini videlicet, cui mens Augustini ex aliis pluribus locis est cognita, obscurum esse potest, Augustinum verbo *infundendi* non alia de causa uti, quàm propter occultationem Gratiæ justificantis, utpotè quæ non in oculos incurrit, ad eòque solâ Fide adprehenditur, quem ad modum si parva licet componere magnis, Præceptor discipulis communicando Doctrinam infundere dicitur Eruditionem, quam ipsis postmodum, ubi atentè sibi eam applicaverint, inque succum & sanguinem converterint, imputat quasi propriam, ut in hoc etiam simili aliquam esse dissimilitudinem ultrò concedatur.

Quintum sequitur, itidem ex Verbis Apostoli desumptum, quibus inter Justitiam Dei & hominum distinguit, in cuius solutione Bellarminus quidem rectè scripsit. Justitiam Dei ad mentem Augustini esse eam, quæ in nobis est ex dono Dei, sed inde non sequitur, esse eam in hærentem, sed potius imputatam, per eam, quæ in citato opere de Gratia & libero arbitrio, quorsum Bellarminus remisit Lectorem, leguntur, ubi non semel tantum hæc Justitia Dei vocatur, quæ est per Fidem Christi, nimirum non alia, quàm Justitia Christi per Gratiã Dei imputata & per Fidem adprehensa & adplicata. Atque sic etiam Pauli verba explicavit Augustinus alibi, eo nimirum in loco, quem ipse Bellarminus adduxit, utpotè quò Justitiam Dei expressissimè vocat *Iustitiam ex Fide à Domino datam*, quod idem est, ac imputatam, quæ Fidem requirit, minus verò necessariam ad Justitiam in hærentem. Neque verum est, quod Bellarminus in Glossa adjicit, *Iustitiam Dei Virtutem adpellari, quâ Lex impletur*, cū, quod supra etiam non semel observatum, non nisi causam finalem Justificationis insinuaverit Augustinus, particulã ut satis clarè expressam.

Ad cætera ut deveniamus argumenta, quibus imputatio Justitiæ Christi confirmatur, eminet inter alia locus verè classicus ejusdem Apostoli, è posteriori ad Corinthios Epistolã desumptus, ubi quemadmodum Christus dicitur peccatum, id est, peccator respectu imputationis, ita fideles dicuntur *Iustitia*, id est, justii, respectu eodem, Bellarminus quidem hanc Expositionem rejicit omninò, duasque alias ex Augustini autoritate substituit, quem nobis tamen non esse contrarium, sed planè contententem, accuratior inspectio locorum, quæ Bellarminus adducit, ostendet ad oculum. Et prior quidem locus ex opere de *Spiritu & littera*, aliud nihil habet, quàm ut Justitiam Dei à Paulo deprædicatam dicat esse Justitiam, non quã ipse Deus est justus, sed quã nos ab eo facti sumus justii, quod supra sæpius ab Ipo scriptum observavimus, nullã tamen neque hic mentione factã Justitiæ in hærentis, quod lectori persuasum voluit Bellarminus. Neque alter locus ex opere contra Maximinum, Episcopum Arianorũ, nobis debet opponi, quia in eo defendit Augustinus, Christum dici ab Apostolo peccatũ à Patre factum, id est, *Sacrificium pro peccato*; sicut enim antehac sacrificia ex Legge fiebant non nisi per imputationem, ita Christi quoque Sacrificium eo venit respectu, atque sicut etiam ex Apostoli sententia nos dicimur Justitia in Christo, non alia iterum ratione, quàm per imputationem. Clarius adhuc hanc mentem suam in gratiam Veritatis Evangelicæ expressit Doctor sanctus in *Enchiridio ad Laurentium*, quem locum à Bellarmino prætermisum hic adscribi interest omninò, ut consensus sit eò manifestior. Ita autem is habet: *Non ait Apostolus, ut in quibusdam mendosis Codicibus legitur, Is, qui non noverat peccatũ, pro nobis peccatum fecit, tanquã pro nobis ipse Christus peccaverit, sed ait, Eum, qui non noverat peccatũ, id est, Christum, pro nobis peccatum fecit Deus, cui sumus reconciliandi, hoc est, sacrificiũ pro peccatis, per quod reconciliari valeremus. Ipse ergo peccatũ, uti nos iustitia, nec nostra, sed Dei, nec in nobis, sed in Ipso, sicut Ipse peccatum non suum, sed nostrum, nec in se, sed in nobis constitutum, similitudine carnis peccati, in qua crucifixus est, demonstravit.* Varia in his Augustini verbis latent Evangelicæ Veritatis testimonia, quæ Lectori serio expendenda commendantur & committuntur. Atque in eandem sententiam hæc Pauli verba explicare Ruardum quoque Tapperum Scriptorem Pontificium, uti & alium quendam, nomine Vincentium Cicomam, ex Alphonso Salmerone testatur D. Clozius in Tractatu de *Doloribus Animæ Christi*, quorum nomina ob illud ipsum pertinent ad Confessionem Veritatis Evangelicæ Catholicam, posthac etiam bono cum Deo pluribus aliis è Recentiorum numero augendam.

cap. 51

c. 41

Confid. 192
num. 6.

cap. 3.

6. 13.

de Fide &
oper. c. 14.

Succedit testimonium ex Epistola Pauli ad Ephesios, de *induitioe hominis novi*, & exinde argumentum pro imputatione Justitiæ Christi contra Justitiam inhærentem. Quamvis enim primario hic locus Apostoli videatur referri debere ad ipsam renovatorem, quam auditoribus jam justificatis observandam commendavit, quia tamen hæc nem, quam auditoribus jam justificatis observandam commendavit, quia tamen hæc phrasim alibi adplicatur ad ipsam Justificationem, nominatim in loco Epistolæ ad Galatas parallelo, ubi de Christi induitioe baptismali agitur, non planè nullum hic quoque usum habet. Ad quem verò modum ratio comparationis Vestimenti cum imputatâ Christi Justitia satis est manifesta, Bellarminus tamen, quò non raro fuit occupatus stupore mentis, id minimè attendit, aliqua producens Augustini verba, de discrimine vestis in homine & in bruto, quæ tamen ad præsens Institutum planè non quadrant. Quod enim Apostolus respexit ad vestimentum Bruti, vix credit Bellarminus, quia ipse in antecedentibus concessit, Justitiam hominis, videlicet post lapsum, non esse naturalem, nec nobiscum nasci. Si autem respexit vestimentum, quò homo naturâ nudus vestitur, habemus Evangelici, quod volumus, nec video, quâ ratione Justitia inhærens possit venire in comparationem, quam tamen hic etiam à Paulo indigitatam voluit Bellarminus, vum verbis manifestam inferens; qui si Augustini Commentarium in citatum Pauli locum ex Epistola ad Galatas parallelum vocasset in subsidium, aliter informari potuisset, si modò voluisset. Hæc autem ibi leguntur huc quam maximè pertinentia: *Per Fidem induendo Christum omnes sunt Filii, non naturâ, sicut unicus, qui etiam Sapientia Dei est, neque præpotentia & singularitate susceptionis ad habendam naturalem & agendam Sapientiam personam, sicut ipse Mediator unum cum ipsa suscipiente Sapientia sine interpositione alicujus Mediatoris effectus, sed Filii sunt participatione sapientia, id præparante atque præstante Mediatoris fide, quam Fidei gratiam nunc indumentum vocat, ut Christum induiti sint, qui in eum crediderunt, & idè filii Dei fratresque ejus Mediatoris sunt effecti.* Expressè Fidem nominat Augustinus, per quam fiat induitio Christi, Fide fieri filios Dei dicit, Fidei gratiam vocat indumentum eorum, qui in Christum credunt, & idè etiam fratres ejus sunt, quæ singula potius Imputationem Justitiæ Christi, quàm inhærentem & propriam nobis sistunt Justitiam, nisi quod receptæ hypothese inserviendum sibi duxit Bellarminus. Ad locum ex Actis Apostolorum, qui Concionis Paulinæ in urbe Antiochia Judæis habitæ nucleum exhibet de remissione peccatorum, dum nihil ex Augustino habuit Bellarminus, quod reponeret, quam sæpè ab eo inculcatum Canonem, *opera non præcedere justificandum, sed sequi justificati*, addens, loqui Doctorem sanctum de operibus verè justis, quibus mandata legis integrè perfectèque servantur, victas ex parte manus dedit Evangelicis. Utur enim post hæc peculiariter Quæstione ex Augustino ostendetur, hominem etiam justificatum non posse in hac vita opus verè & omni ex parte justum facere, vel Mandata Legis integrè perfectèque servare; tamen si hoc etiam obtineret, nondum esset evictum, hominem *formaliter* justificari per Justitiam inhærentem, quia hic Canon Augustinianus etiam secundum Explicationem Bellarmini opera Justitiæ ante Justificationem agnoscit nulla, quod in sequenti Controversia ex eodem Augustino prolixissimè demonstrat, solam urgens Justitiam *habitualem*, ad Justificationem videlicet primam, uti cum suis distinguit, ad secundam verò referens *actualement*, in quo tamen ipso non convenire Doctores, quos vocat *Catholicos*, dissimulare non potuit Bellarminus, quam Litem vel Controversiam sine præjudicio Unionis jactatæ tanquam certæ Veritatis notæ pro & contra ventilari posse existimavit, quamvis non imeritò videatur Evangelicis, hoc etiam exemplo augeri posse Contradictiones Pontificias. *Ultimum* denique argumentum de Pharisæo & Publicano, hoc nimirum justificato præ illo, eludere adè non potuit ex Augustino Bellarminus, ut potius agnosceret fuerit coactus, Pharisæum jactatione meritorum sibi impedimento fuisse, quò minus Templo egrederetur justificatus, quod tamen de Publicano adfirmavit os Veritatis Christus, nullam infusæ vel inhærentis Justitiæ faciens mentionem, sed solùm filialis Fiduciam in Misericordiam Dei, cujus respectu Justificationem impetravit. Nihil nunc restat, quàm ut vel tribus verbis Bellarmini prolixam futilitatem in pervertendo Augustini clarissimo ex opere de *Civitate Dei* testimonio ostendam. Urget, voculam *potius*, quâ usus & ibidem Augustinus, non *excludere* perfectionem Virtutum, sed *præponere* remissionem peccati. Verum, si suo proximè loco docebitur ex Augustino, non inveniri apud justificatos etiam in hac vita *perfectionem Virtutum*, quod nunc in antecessum tanquam certò demonstrandum præsupponitur, responsi nullitas erit manifesta. Inter id autem accedit, quod Ludovicus Vives, Hispanus, Commentator ad hoc opus Augustini laudatissimus, citatum & optimè ad sensum Augustini cæteramque ejus doctrinam observavit, partem illam *Potius* non comparationem notare, sed *diversarum specierum oppositionem*, quarum videlicet unam

unam ponendo, alteram à veræ Justitiæ nomenclaturâ removit Augustinus. Et si dicendum, quod res est, hæc Augustini verba non agunt de Iustificacione aut ejus causa formalis, sed de renovatione & justitia, cujus studium requiritur à justificatis quidem, nunquam tamen in hujus vitæ statu deducitur ad perfectionem. Reliqua, quæ prolixiori responsione inferuit cum fastidio Bellarminus, quasi ad Augustini mentem, soluta sunt facilia, quia partim à nobis conceduntur, utpotè, quod Iustitiam renovationis vocat aliquâ ex parte veram, quod suo sensu verum esse agnoscunt Evangelici, partim tanquam petitiones principiorum suis destitutæ fundamentis eadem facilitate rejiciuntur, quâ fuerunt in medium adductæ, ut, quod eandem renovationis Iustitiam dicit esse veram, quia per eam non solum facimus opera ex genere, sed *ex omnibus etiam circumstantiis*, iusta, cujus pronuntiati falsitas bono cum DEO posthac Lectori exhibebitur. Cætera Augustini verba ex eodem opere, quæ Bellarminus denuo inculcat, supra sunt expensa, nec uberius desiderant responsum. De virtute & efficacia Baptismi in deletionem peccatorum suo iridem loco est actum, ut hic nulla sit opus repetitione. Contradictorium est de cætero, quod Bellarminus porrò quasi ex Augustini sensu scribit, Virtutes infusas ita suo quodam modo esse perfectas, ut *quotidie magis ac magis debeant perfici*. Si enim perfectæ jam sunt, quocunque etiam modo, non ulteriori opus est perfectione. Illud etiam improprie & minus accurate dicitur, *Virtutem semel infusam quotidie novâ remissione peccati egere*. Ultima tandem Augustini verba Evangelicis præbent pro imperfectione Justitiæ patrocinium, uti non ita diu post uberius docebitur. Atque sic hætenus illud etiam ex Augustino evictum est, causam Iustificacionis formalem non consistere in Justitia quâdam inherente, vel renovatione Mentis internâ, quæ demum ipso opere & actu sequitur Iustificacionem tanquam effectus, finis & scopus, ad quem Iustificacio dirigitur à Deo; sed in gratuita remissione peccatorum, & originalis, & actualium, ex unâ, ex alterâ autem parte in *imputatione* Justitiæ Christi, exhibentis obedientiam ejus & activam & passivam, quam Gratiâ privatam & positivam homo in ipso Iustificacionis actu per Fidem divinitus datam amplectitur & sibi fiducialiter applicat, in quo habent Evangelici Augustinum testem & confessorem constantissimum.

Libri tertii Caput quintum & seqq.

De

Iustificacionis certitudine.

Hanc ut impugnet Bellarminus, multa iterum è Scripturâ & Patribus conquirunt, Augustino etiam hinc inde ad auxilium vocato, quem hic vindicabimus. Et primo quidem ad verba Davidis, *Delicta quis intelligit?* observat, *Ambrosium Catharinum*, quem hoc in puncto ex aliquâ parte hæreticis accenset Bellarminus, notare, præter *Hieronymum* ab Augustino etiam exponi hunc locum de peccatoribus, *qui dum in tenebris sunt, sua videre non possunt peccata*. Sed respondet Bellarminus, hoc non infirmare argumentum pro incertitudine Iustificacionis ex hoc testimonio desumptum; loqui enim Patres illos de visione peccati ad ea curanda utili, nec dicere velle, peccatores non intelligere, homicidium & adulterium atq; similia, quæ ab illis committuntur, esse peccata, sed indicare voluisse, peccata non videri à peccatoribus, quia non cogitant peccatores, quàm magna sint illa mala, & quàm graviter per ea lædantur ipsi, quod tamen incipiunt cognoscere, cum à Domino convertuntur, & ideo quasi tunc ea primum vidissent, magno concutiuntur horrore, & de eorum curatione magno satagunt studio.

Hæc autem Doctrina, scribit porrò Bellarminus, quæ verissima est, nihil impedit, quò minus justissimi quique dicant, *Ab occultis meis munda me, Domine*; metuentes videlicet, ne fortè hoc ipso sint peccatores, & excecati, quod peccata non vident. Nam David sanctus erat, & tamen dicebat, *Ab occultis meis munda me, Domine*; & August. ipse secunda in hunc Psalmum Concione pro se & universo dixit populo, *Ab occultis meis munda me, Domine*. Deinde ad testimonium Pauli, de semetipso scribentis, *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc sum justificatus*; inter alia Patrum loca ad Augustini etiam provocat autoritatem, in Psalmum quadragesimum & primum vel secundum Ebræos secundum, illa tractantis verba, *Abyssus invocat abyssum*, ac dicentis, *omnes Sanctos, quantumvis proficiant, adhuc abyssum esse, quoniam se ipsos non noverunt*, hunc insuper Apostoli locum adducebitis, atque auditores sic adloquentis: *Quanta abyssus sit, audite. Tantam profunditatem credit esse in homine, quæ lateat ipsum hominem, in quo est. Cum enim dixisset, Nihil mihi conscius sum, adjecit, sed in hoc non sum justificatus*. Post hæc retrogreditur ad testimonia V. T. pro incertitudine Iustificacionis, ad quæ Augustinum dicit referre Davidis è Psalmo post quinquagesimum primo verba, *Incerta & occulta Sapientia tua mani-*

festasti mihi, adlegantis etiam Bonæ locum, *Quis scit, si convertatur & ignoscat Deus? atque addentis, Incertum est, cum dicitur, Quis scit? De merito penitentiam egerunt, & certam meruerunt Misericordiam.* Præterea, ex eodem Augustino quinque alia producit testimonium ex Enarratione, quibus hanc Incertitudinem firmare & certam facere conatur. Primum ex Enarratione Psalmi modò laudati post quadragesimum primi vel secundi, ubi ad verba, *Ad me ipsum anima mea turbata est, hæc leguntur: Novi, quia Iustitia Dei mei manet; utrum mea maneat, nescio, terret enim me Apostolus, dicens, Qui se putat stare, videat, ne cadat.* Secundum ex Sermone post vigesimum tertio de Verbis Domini, *Fortasse tu nihil invenis in conscientia tua; inventi ille, qui melius videt.* Tertium ex Homilia post trigessimam quintam, *Quamdiu vivimus hic, de nobis ipsis nos ipsi judicare non possumus, non dico, quid cras erimus, sed quid simus hodie?* Quartum est Commentario in Psalmum quinquagesimum & primum, super verba paulò ante citata, *Incerta & occulta sapientia tua manifestasti mihi. Quæ occulta, & quæ incerta? quia Deus ignoscit & talibus. Nihil tam occultum, nihil tam incertum.* Quintum denique ex libro de Perfectione Justitiæ post medium, *Quantalibet Justitia sit, homo præditus, cogitare debet, ne aliquid in illo, quod ipse non videt, inveniat esse culpandum.*

Inter rationes, quibus eandem propugnare studet incertitudinem Bellarminus, ordine & numero Tertia hæc est, quod non expedire videatur, ut homines habeant ordinariè certitudinem de propria Gratia; nam, ut Augustinus ait in libro de Correctione & Gratia, *in hoc loco tentationis tanta est infirmitas, ut superbiam possit generare securitas.* In responsionibus ad argumenta Evangelicorum, & qui cum iis Certitudinem Justificationis defendunt, inter quos Ambrosium quoque Catharinum refert, nominatim ad quartum ex verbis Christi de certitudine Cognitionis, *quomodo Christus in Patre, & Pater in Filio sit, respondet, si credendum sit Augustino, loqui Dominum de Cognitione beatà, quæ post hanc erit Visita, cum videbimus Deum, sicuti est. Tunc enim aperte cognoscemus, Filium esse in Patre, & nos in Filio, & Filium in nobis.* Si quis autem contendat, scribit Bellarminus porro, in hac etiam vita compleri, quod Dominus ait, *respondio erit in promptu, cognoscere, nos esse in Filio, & Filium in nobis, nõ esse cognoscere, nos esse justos, sed Christum esse caput totius Ecclesiæ; sic enim est Christus in nobis, id est, in Ecclesia, & Ecclesia in Christo, quia ipse est caput, & Ecclesia est corpus.* Ad Septimum ex verbis Pauli testimonium, *Certus sum, quia neque Mors, neque Vita poterit nos separare à charitate Christi,* respondet Bellarminus, duas esse hujus loci Expositiones, unam, quod Apostolus loquatur de prædestinatis in genere, ut sensus sit, certum esse, omnes prædestinatos in charitate Dei perseveraturos; nam paulò ante dixerat, *Scimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum; his, qui secundum Propositum vocati sunt sancti.* Nam quos præcivit, eos & prædestinavit, &c. Et hanc dicit Augustini de hoc loco in libro de Correctione & Gratia sententiam, addens, aliam ejus Expositionem esse apud eundem in libro de Correctione & Gratia sententiam, *Inter testimonia Patrum ex Augustino decem producit, ad quæ responsiones parat Bellarminus. Primum est ex Tractatu super Psalmum octogesimum & octavum vel nonum, ubi hæc leguntur: Hoc dixit Deus, hoc promissit Deus, si parum est, hoc juravit. Quæ ergo non secundum opera nostra, sed secundum illius misericordiam firma est promissio, nemo debet cum trepidatione prædicare, de quo non potest dubitare.* Bellarminus respondet, est argumentum hoc in specie magnum, in rei veritate nullum. Nam non loquitur Augustinus de verbo aut juramento Dei, quod ille aut iste sit justus, sed quod Christus perpetuò sit regnaturus in Ecclesia. Explicans enim versiculum, *Juravi David servo meo, usque in æternum præparabo Semen tuum,* ait, *In æternum regnabit Christus in sanctis suis, hoc dixit Deus, &c.* Et quis credat, Augustinum fuisse dicturum, *Nemo debet cum trepidatione prædicare, si de prædicatione propriæ Justitiæ loqueretur? Annon fuisset hoc ad jactantiam homines exhortari? Igitur de regno Christi perpetuo, cujus absoluta est promissio, nec ullo modo pendens ab operibus nostris, nemo debet prædicare cum trepidatione, de quo non potest sine perfidia dubitare.* Secundum est ex opere Sermonum de Verbis Domini, *ò homo, faciem tuam non audebas attollere, oculos in Terram dirigebas, & subito accepisti Gratiam Christi, omnia tibi peccata sunt dimissa, ex malo servo factus es filius bonus.* Idèd præsumere non de operatione inã, sed de Gratia Christi. Non ergo arrogantia est, sed Fides, prædicare, quod accepisti; non superbia, sed devotio. Ergò attolle oculos ad Patrem, qui te per Lavacrum genuit, qui te per Filium redemit, & dic Pater noster! Bellarminus respondet: Hæc omnia libenter amplectimur, adferimus, prædicamus, nec videre possumus, quæ in te nostræ sententiæ repugnent. Non enim hortatur Augustinus recens baptizatos, ut certò credant, remissa tibi esse peccata, eà certitudine, quæ credunt, Christum esse Deum, id est, certitudine Fidei divinæ, sed ut confidant, se per Baptismum justificatos & filios Dei effectos, & videbunt cum

c. 13.

Joh. 14.

Rom. 8.

cap. 7.

c. 11, & seq.

Serm. 28.

cum fiducia oculos ad Patrem attollant & dicant, *Pater noster*. Ad hanc enim fiduciam gignendam abunde sufficit Fides, quæ certissimè credimus, per Baptismum ritè collatum & susceptum omnia deleri peccata, & Gratiâ Justificationis infundi; & præterea bona Conscientia, quæ non reprehendat cor nostrum de obice Gratiæ Divinæ posito, id est, de adfectu aliquo erga peccatum. Itaq; nos ipsi, qui contendimus, non posse quenquam sine peculiari revelatione certò scire certitudine Fidei, sibi remissa esse peccata, tamen quando Sacramenta percipimus, & cor nostrum nos non reprehendit, magnâ cum fiducia & securitate dicimus, *Pater noster!* Tertium est Comentariorum in Joh. *Oportet omnes nos exhiberi ante tribunal Christi, & tu ubi audes promittere quod in Iudicium non veniens. Absit, inquis, ut hoc ego mihi audeam promittere, sed credo promittenti, Salvator loquitur, Veritas pollicetur, Ipse dixit mihi: Qui audit verba mea, & credit ei, qui misit me, Vitam habet æternam, & in Iudicium non venit. Ego audivi verba Domini mei, credidi. Iam infidelis cum essem, factus sum fidelis, sicut ipse monuit, transi de morte ad vitam, ad Iudicium non venio, non presumptione mea, sed ipsius promissione.* Bellar. respondet, ex promissione Christi potest unusquisq; ut Aug. rectè docet, colligere, se transisse de morte ad vitam, & in Iudicium non esse venturum. Cæterum quæstio est, quâ certitudine id possit colligere, id enim August. non explicat. Nos verò dicimus, id eum posse colligere certitudine infallibili planèq; Divinâ, si promittentis fidelitas attendatur. Sin autem consideretur dispositio propria, non majorem illi damus certitudinè, quam conjecturalem; quoniam promissio Christi non absoluta, sed conditionalis est. Non enim dixit absolute Christus, tu in Iudicium non venies, aut ille in Iudicium non veniet; sed *qui audit verba mea, & credit ei, qui misit me, in Iudicium non veniet.* Utrum autem ego verba ejus, sicut oportet, audierim & crediderim, ipse mihi non dixit, sed Experimentiæ meæ, quæ fallax potest esse, credere me oportet. Quartum è Comentario in Psalm. 149. *Est modus gloriandi in Conscientia, ut noveris, Fidem tuam esse sinceram, ut noveris, Spem tuam esse certam, ut noveris, Charitatem tuam esse sine simulatione.* Bellar. respondet, August. loqui de notitia humanâ & conjecturali, quæ sufficit ad gloriam Conscientiæ, de quâ dicit Apostolus, *Gloria nostra hæc est, testimonium Conscientiæ nostræ.* Nam ibidem admonet August. cum hæc notitia & gloria consistere posse peccatum occultum, & ideo scriptum esse in Proverbiis, *qui gloriabitur, mundum sed esse à peccato?* Sed quoniam multa sunt adhuc, scribit August. *que possunt fortè Dei oculos offendere, laudare Deum, qui ista tibi donavit, tunc perficiet, quod dona vitæ, id est, laudare eum, quod scias, te multa non fecisse peccata, & non habere & ipse dabit etiam, ut auferantur, si qua habes occulta.* Quintum ex opere Sermorum de verbis Apostoli, *si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Ecce, adjuvante ipsius Memoranda Spiritum Christi habemus, ex ipsâ delectatione Justitiæ, integrâ Fide, Catholica fide Spiritum Dei in nobis esse cognoscimus.* Bellar. observat, *Catharinum* tantum fecisse hunc locum, ut diceret, per eum planè obstrui ora omnium adversariorum, sed respondet, nihil omninò concludere, si ambiguitas Sententiæ tollatur è medio. Illud enim, *Catholica Fide*, inquit, non debet referri ad modum cognoscendi, sed ad Signum & conjecturam. Non enim significavit Aug. nos Fide Catholicâ cognoscere, Spiritum Dei in nobis esse, quasi Spiritum Dei in nobis esse, sit objectum Fidei Catholicæ; sed dicit, nos ex Fide Catholica, quam habere nos experimur, tanquam ex signo quodam posse colligere, Spiritum Dei in nobis esse. Hanc autem esse mentem August. evidenter probamus ex eo, quod idem Aug. conjungit cum Fide Catholica delectationè Justitiæ, dicens, *Ex ipsâ delectatione Justitiæ, integrâ Fide, Catholica fide, Spiritum Dei in nobis esse cognoscimus.* Nam vel particula *ex* refertur etiam ad Fidem Catholicam, vel non refertur. Si refertur, tunc Sensus erit iste, ex delectatione Justitiæ & ex Fide Catholica, tanquam duobus signis, Spiritum Dei in nobis esse cognoscimus. Si non refertur, iste Sensus erit, ex delectatione Justitiæ tanquam ex Signo quodam cognoscimus Fide Catholica, Spiritum Dei esse in nobis. Hic autem Sensus & absurdissimus & involvit repugnantiam. Quomodo enim Fide Catholica cognoscimus, si ex Justitiæ delectatione cognoscimus? Fides enim Catholica in revelatione Divina, non in nostra delectatione niti debet. Itaq; idem est, ac si quis diceret, Sententiam aliquam se certissima demonstratione concludere ex argumento topico. Prior igitur Sensus, qui verus est, tribui debet Aug. Adde, quod cum Concilium Tridentinum ipso etiam teste *Catharino*, definiat, non posse haberi de propria utilitate certitudinem Fidei Catholicæ, si Aug. diceret contrarium, ut jam videtur *Catharinus* velle, pugnaret Concilium cum August. & *Catharinus* cum Concilio; quæ si *Catharinus* concedere non audeat, non dicat, etiam, eo testimonio obstrui ora contravenientium. Sextum est iterum è Comentario in Johannem, *Tunc erit, ut possimus videre, quod credimus.* Nam nunc est in nobis, & nos in illo. Sed hoc nunc credimus, tunc etiam cognoscimus. Ergo inquit *Catharinus*, nunc fidei certitudine certi sumus, Christum esse in nobis, & nos in illo. Bellar. respondet *Christum esse in nobis, & nos in illo*, non significat, in me aut te in particulari Christum esse per Gratiâ justificantem, sed Christum esse in Ecclesia, ut caput in corpore, & Ecclesiam esse in Christo, ut corpus in capite. Septimum ex opere de Trinitate, *Fidem ipsam videt quisq; in corde suo esse, si credit; vel non esse, si non credit.* Et iterum in eodem, *qui dilexit fratrem, magis novit dilectionem, qua diligit, quam credere & diligere, quando credimus & diligimus; sed utrum actus illi sint, quales oportet, & utrum ex habitu proficiantur, sine revelatione sciri non possit.* Octavum è Comentario super Epistolam Johannis, *Nemo interroget hominem, redeat ad cor suum. Si ibi invenit Charitatem, securus sit, quia transit à morte ad vitam.* Bellar. respondet, Charitas sine ulla dubitatione vivificat, & ideo si quis illam inveniat in corde suo, securus merito potest esse. Cæterum quamvis possit unusquisq; in corde actum dilectionis videre, tamen non potest certò cognoscere, sine actus ille Charitatis veræ, annon? Prorinde poterit quidem securus esse, quoniam ad hoc sufficit moralis certitudo, non tamen certus erit certitudine Fidei, cui falsum nulla ratione possit subesse. Nonum est ex opere de Medicina Poenitentia, *Dimittite nobis debita nostra, non dicimus pro his peccatis, quæ remissa credimus in Baptismo, nisi de ipsâ Fide dubitemus.* Bellar. respondet, illud credimus politicum est pro eo, quod est existimamus, censemus, arbitramur. Unde in opere adversus Cresconium idem Sententiam repetens eandem usus est verbo confidimus, scribens, *Dimittite nobis debita nostra, non dicimus pro his debitis, quæ semel in Baptismo dimissa esse confidimus.* Illud autem, *nisi de ipsâ Fide dubitemus*, ideo positum est, quoniam, si quis dubitet, an defectum intentionis Ministri, vel propter indispositionem suscipientis peccata non sint delecta, sed quia ut plurimum nulla extraneabilis causa dubitandi intentione vel dispositione, quod attinet ad Baptismum ritè administrandum & suscipiendum, & ideo si quis dubitet, de ipsâ Baptismi efficaciac, hæc è Fide Catholica dubitare videb. Dices, ita objicit sibi Bell. ergo talis certitudo debet

Tract. 22.

11. Cor. 1.

c. 20.

Serm. 6.

Tract. 25.

1. 13. c. 1.

1. 8. c. 8.

Tract. 54.

cap. 6.

1. 11. c. 28.

bet

bet haberi remissione peccatorum in Baptismo, ut omnem prorsus excludat dubitationem. Et respondet, ita esse, si per dubitationem intelligas eam animi dispositionem, per quam neutri parti adsentiri quis audeat; illi enim propriè dubii sunt, qui ita fluctuant, ut nihil audeant decernere. At si per dubitationem intelligas formidinem, quam habemus interdum de contraria parte, etiamsi uni adsentiamur parti, nego, talem haberi debere certitudinem, quæ dubitationem, id est, formidinem prorsus excludat. Augustinus autem dicit, eos dubitare de Fide, qui dicunt, *Dimite nobis debita nostra*, pro peccatis iis, quæ in Baptismo dimissa esse debent credere, quoniam qui pro illis orant peccatis, videntur esse dubii priore modo, atque per hoc anxii & fluctuantes; quæ fluctuatio non præsumitur nasci, nisi ex defectu Fidei de efficacia Sacramenti. *Decimum* denique è Commentatio in Psalm. 58. *dicat unusquisq; fidelium, Sanctus sum. Non est ista Superbia elati, sed confessio non ingrati.* Bellar. respondet, dicat sanè unusquisq; fidelium, qui nihil sibi conficius est, ex bona spe, Sanctus sum. Nam ex Fide Divina hoc non potest dicere, nisi hoc ipsum Deus ei revelaverit; alioqui falsa posset esse Fides, cum facile fieri possit, ut aliqui Sanctos esse se credant, & non sint. Hæc prolixè satis ad Augustini testimonia Bellar. ut eum quoque inter *Dubitantes* possit referre, ac Certitudinem Evangelicam ejus etiam autoritate incertam facere. Inter rationes, quibus Evangelicos ad confirmationem hujus Certitudinis uti dicit Bellar. primo ponit loco eam, quæ ducitur ab Exemplis Sanctorum, qui certi fuisse narrantur de Justitia suâ, in quorum numero dum recensetur Abraham, ad quem Deus dixit, *Nunc cognovi, quod timeas Dominum*, observat Bellarm. Augustinum sic exponere, *nunc te cognoscere feci, quod verus sis cultor & amator Dei*, ex quo intelligimus, subjungit Bellarminus, non esse omnibus justis commune, ut se justos esse certò sciant. In responsionibus ad cæteras pro Certitudine rationes nihil occurrit ex Augustino, ita ut sine omni motâ nunc ad Examen Disputationis Bellarminianæ liceat progredi, ac tentare, annon Doctor Sanctus hic etiam referri possit, imò debeat inter testes Veritatis Catholicæ ac Evangelicæ.

Ut autem hoc fiat eò majori cum perspicuitate, ante omnia videndum est, quid propriè hic veniat in controversiam, cum Bellarminus non semper sibi constet, & pro more sæpius subimet ipsi contradicat & scribat, quando Veritatem suscepit oppugnandam, non raro Evangelicorum quoque Sententiam non ritè proponens, hæscio, an studio etiam pervertens? Notandum igitur, sermonem hic non esse de homine quovis, qui semetipsum fidelem jactat vel Christianum, neque de inani jactantia & inde derivatâ Securitate, vel etiam de quocunque temporis puncto, aut fundamento quodam certitudinis humano, atque humanum aliquod Meritum respiciente, & quæ forsitan plura hic removeri possunt; sed de homine fideli verè Christiano, vivo nimirum Christi & Ecclesiæ membro, Templo Spiritus S. imò totius SS. Trinitatis, & qui per Sacramentum Baptismi, vi Fœderis cum Deo initi, factus est Dei filius, & in Spe certâ hæres æternæ Beatitudinis, tali insuper certitudine, quæ cum timore filiali ob quotidianos ex superstitie post Baptismum imperfectiōne lapsus est conjuncta, ac singularem omnium in Statu Christianismi actionum, imò & cogitationum sollicitudinem & observationem requirit, ne quid ex ultroneo mori fiat contra debitum obligationis, eo etiam tempore, quo extra statum Tentationis Sathanicæ gravioris & paroxysmi vehementioris homo constitutus, intra terminos, ut sic dicam, plenilunii, sine Ecclesiæ & subtractione radiorum Solis Gratiæ Deum patrem fide plenâ invocet, & quidem soli Merito Christi innixus, quo & non alio quodam medio vel remedio se sospitem aque peccato & pœnis peccati salvum atque liberum sit, credit & gratus conficitur. His ex debito observatis, non adeò difficile erit ostendere, Aug. in hac etiam Questionè nostrum esse, quidquid Bellarmino fuerit visum, qui, uti in antecedentibus, ita hic quoque eum violenter ad suas trahere partes conatus est, sed invitissimum & reluctantem, uti mox videbimus; modò id unicum adhuc in antecessum observetur, quod in *Vindiciis* etiam *Anti Thomisticis* monui, quamvis Bellarminus Sententiam *Catharini* Sententiæ Evangelicorum conjungat, vel potius utramque inter se confundat, non unam esse tamen eandemque, sed multiplici ratione diversissimam *Sforzia Pallavicino* in Historia Synodi Tridentinæ in noviter etiam agnoscente, & *Catharini* Sententiâ suis coloribus illustrante, quod minimè fuisset factum, nisi discrimen notabile observasset. Hoc tamen non obstante, certum est, rationes & fundamenta, quibus pro sua militavit Sententiæ *Catharini*, inservire etiam ad confirmationem sententiæ Evangelicorum, uti in sequentibus ad oculos demonstrabitur per DEI gratiam liquidissimè. Et quidem quod *primò* attinet testimonium Davidis, ingenue agnoscentis, quod omnia, quæ vel a primâ Juventute commiserit, vel adhuc committat, peccata non intelligat, Deumque humiliter rogantis, ut ea etiam ignoscat; non operosius urgebo, quod *Catharini* dicat, Augustinum

Gen. 22.
Qu. 57. &
58. in Gen.

p. 867.
L. 8. c. 12.
§. 10. & seq.

Pl. 19.

Atinum hæc Davidis verba expoluisse de peccatoribus, in statu nimirum peccati versantibus, in quo statu omnino nullam certitudinem locum potest habere, sed illud tantum Lectori ponderandum relinquo, an, quia Augustinus, quod Bellarminus objicit, suo & auditorum nomine his usus verbis Deum est adlocutus, *Ab oculis meis munda me, Domine*, hoc August. fecerit dubium de Gratia Justificationis & remissionis peccatorum? *Justificationis*, inquam, vel Justitiæ Christi imputatæ per Fidem, & non potius Fidem ejus firmam atque certam reddiderit eometiplo, quia ad Davidis exemplum, imò omnium Sanctorum & justificatorum, quod idem Psalter regius notanter innuit, fiducialiter à Deo peccatorum etiam occultorum & sibi propter residuas Mentis ex lapsu tenebras incognitorum remissionem atque ab eis mundationem rogavit, de paternâ exauditione indubius planè & certissimus. *Deinde* verborum Pauli, *nihil mihi conscius sum, sed in hoc non sum justificatus*, Expositio & applicatio Augustiniana multis habet opus, ut inserviat huic rei. Ut enim non dicam, verba Augustinialiter à Bellarmino adduci, ac in loco ab eodem citato leguntur, ali qua etiam adjevit, quæ omnino non leguntur, dum Augustinus eorum, ubi Paulus dicit, *in hoc non sum justificatus*, omnino non meminit, in quibus tamen nervus controversiæ latet; hoc insuper accedit, quod ibi Pater Sanctus non agat de Justificatione vel ejus certitudine, quæ hic trahitur in Controversiam, sed de abyssu Mentis humanæ etiam in iis, qui Ecclesiæ Doctores audiunt, quod hæc ejus in antecedentibus proximè verba indicant: *Abyssum in vocant*, id est, uti paulò ante id explicavit, advocat vel ad se vocant Sancti Prædicatores Verbi. Numquid & ipsi abyssus? ut noveris, quia abyssus & ipsi. Apostolus ait, Minimum est, ut à vobis dijudicet, aut ab humano dic. Quanta autem abyssus sit, audite amplius, ne que enim ego me ipsum judico. Tantamne profunditatem credidit esse in homine, quæ lateat ipsum hominem, in quo est? Et post Exemplum Petri. Ergo omnis homo, licet Sanctus, licet justus, licet in multis proficiens, abyssus est, & abyssum in vocat, id est, ad se vocat, quando homini aliquid Fidei, aliquid Veritatis prædicat propter vitam æternam. Hæc ibi occasione dictorum Pauli verborum Augustinus de imperfectione cognitionis propriæ & judicii de semetipso, quæ huc quadrant minimè, & non nisi vi apertâ huc trahuntur. Ita, quæ idem Pater Augustus in Psalmum quinquagesimum & primum ad verba regii, *Vatis de occultis Sapientiæ & Bonitatis Divinæ viis sibi revelatis notavit*, addens Exemplum Pœnitentiæ Ninivitarum Deo non ingrata, sed accepta, & cuius respectu à præsignificatâ peccatorum pœnâ eosdem absolvit, multis opus habent intercedentibus consequentiarum consequentiis, ut incertitudo Justificationis eliciatur. Quamvis enim dicat Augustinus, *incertum & occultum esse, quod DEVS ignoscat & talibus*, qualibus verò? in proximè sequentibus insinuat, dum Ninivitas adducit, quos de Gratia apud Deum impetrandâ incertos fuisse, ut illud nunc interim largiamur, mirum videri non debet, quia fuerunt extrastatum Gratia, præfens autem Quæstio agat de fidelibus in Statu Gratia versantibus.

Inter cœtera quing. ex August. testimonia, quibus incertitudinem demonstrare laborat idem Bellarminus, nullum quoque aptum est, ut contra Evangelicos dicat Sententiam. Non primum ex Enarratione Psalmi post quadragesimum secundi, ex quâ paulò ante vidimus Bellarminum frustra subsidium quæsisisse, quia in eadem Augustinus nihil aliud agit, quàm ut ad mentem Regii Psalteris omnem hominis fiduciam in solâ DEI Misericordia collocet, quod testantur verba proximè sequentia: *Ergo, quia non est in me firmitas mihi, nec est mihi Spes de me, ad me ipsum turbata est anima mea. Vis, non conturbetur, non remaneas in teipso, & dic, Ad te, Domine, levavi animam meam. Hoc planius audi, noli sperare de te, sed de DEO tuo. Nam si speras de te, anima tua conturbatur ad te, quia nondum invenit, unde sit secura de te. Ergo quoniam ad me conturbata est anima mea, quid restat, nisi Humilitas, ut de seipsâ non presumat anima? quid restat, nisi ut omnino minimam se faciat, nisi ut se humiliet, ut exaltari mereatur? Nihil sibi tribuat, ut ei ab illo, quod utile est, tribuatur. Annon Lector optime, optime hæc conveniunt cum iis, quæ in formatione Status Controversiæ ex Evangeliorum Sententia proponuntur? Vide, & num Augustinus ritè nobis opponatur, judica? Neque secundum ex opere Sermonum de Verbis Domini, ubi Doctor Sanctus explicat Parabolam de Virginibus decem, quinque sapientibus & totidem fatuis, de his notanter observans, quod ab illis fuerint irrita verba sequentibus, *Ite ad vendentes & emite vobis, quæ non solebatis bene vivere, nisi quia vos laudabant homines, quia vobis oleum vendebant, id est, laudes. Qui vendunt laudes, nisi adulatores? Et post aliqua, vobiscum non portatis oleum, non autem nos damus, ne forte non sufficiat nobis & vobis: vix enim de nobis judicamus, quando minus de vobis possumus judicare. Quid est, vix de nobis possumus judicare? quia cum Rex iustus sederit in Throno, quis gloriatur, castum se cor habere? Et nunc sequuntur illa, quæ Bellarminus objicit, quorum quis sit Scopas, ex adductis non est**

obscurum

Vid. Höpf.
de Justif.
p. 402.

obscurum, atque plura ibi leguntur in antecedentibus & consequentibus, quo Mentem Patris augusti Doctrinæ Evangelicorum omnino consentaneam indicant, ob prolixitatem verò hic non exscribenda, sed Lectori studioso ad evolutionem privatam commendanda. Sed & neque *tertium* ex opere Homiliarum quinquaginta, cum verba, quæ Bellarminus adducit, atque videntur aliquatenus ejus inservire scopo, immediate sequentia ad sensum, quem hic intendunt Evangelici, explicent eleganter: *Quanto minus moveri debemus iudicium alienis, quam de Conscientia nostrâ, qua nobis perhibet testimonium; nam Gloria nostra debet esse Conscientia nostra.* Idem verbis ferè iisdem dixit in antecedentibus, ad nihil aliud ex Apostoli sensu, uti paulò ante etiam vidimus, respiciens, quam ne quis proprio de se iudicio, videlicet ob rectitudinem vitæ, fidat, utur Conscientiæ serenitas proprio thesauro, præsertim contra iudices humanos, eosque temerarios debeat haberi, Paulo iterum contestante. *Quartum* è Commentario in Psalmum quinquagesimum & primum proximè est expensum. *Quintum* denique ex libro de perfectione iustitiæ, uti mox infra egregium habebit ulum contra perfectionem operum & jactatam possibilitatem Legis implendæ, ita hic certitudinem Iustitiæ Christi impuratæ per Fidem non tollit, uti potè quod non propriis nititur meritis. Unde citatis à Bellarmino verbis proximè subiungit Augustinus: *Quis gloriabitur mundum se esse à peccatis, nisi forte isti, qui in sua voluntate iustitia, non in ipsius iudicis Misericordia gloriari?* Expressimè iterum ad Sententiam Evangelicorum. Insuper quod ad *terciam* pro incertitudine rationem ex Augustini libro de *Correptione & Gratia* adfert testimonium Bellarminus, ad præsentem non pertinet Contraversiam, in quâ non agitur de certitudine Prodestinationis, sed Justificationis, cum aliter de hac, aliter de illâ statuatur ad tenorem revelationis Divinæ Evangelici; præterquam, quod in verbis antecedentibus expressè utatur Sanctus Doctor vocabulo *presumptionis*, quam nos, uti *Securitatem*, quoque, & provenientem inde *Superbiam*, quantum in verbis à Bellarmino citatis mentionem fecit, ab hac præsentis Gratiæ justificantis certitudine omnino jubemus abesse, uti potè statui Infirmi-tatis, in quo fideles adhuc versantur, contrariam planè & directissimè oppositam. Atque hæcenus Bellarminum frustra ad auctoritatem Augustini pro adsertione incertitudinis provocasse vidimus.

Nunc responsiones Ejus sequuntur, quibus argumenta Evangelicorum pro adrendâ Certitudine infirmare admissus est, vel iterum Augustini auctoritatem eis per aliam verborum explicationem opponendo, vel ejus etiam verba ad alienam è Scriptoris mente sensum detorquendo. *Primum* certè Specimen exhibet ad *quartam* ordine testimonium, quo Christus Discipulis & sub eorum nomine cunctis fidelibus promittit cognitionem intimæ unionis inter Patrem & Filium, ut & inter Filium & fideles, quod testimonium dicit Augustinum explicare de *cognitione beata*, quæ post hanc erit Vita: cum Augustinus quidem eò respiciat, sed non solum, verum etiam ad cognitionem in hac Vita per Fidem, uti verba ejus habent satis clara, scribentis: *Tunc erit, ut possimus videre, quod credimus; nam & nunc est in nobis, & nos in illo. Sed hoc nunc credimus, tunc etiam cognoscemus, quamvis & nunc credendo noverimus, sed tunc contemplantando noscimus.* Et post pauca: *Si etiam nunc Christus non esset in nobis, Apostolus non diceret, Si Christus in nobis & corpus quidem mortuum est propter peccatum, Spiritus autem vita est propter Iustitiam. Quia verò & nos etiam nunc in illo sumus, satis ostendit, ubi dicit, Ego sum Vitis, vos palmites. In illa ergo die, quando vivemus ea vita, quæ Mors absorbetur, cognoscemus, quia ipse in Patre, & nos in ipso, & ipse in nobis; quia tunc perficietur hoc ipsum, quod & nunc inchoatum est jam per ipsum, ut sit in nobis, & nos in ipso.* Ex quibus verbis est manifestum, quod Augustinus Christi promissionem de utraq; intellexerit vita, utique adscribens sui cognitionem, quamvis quoad gradus ibi perfectiorem, quæ tamen perfectio ad statum Beatitudinis referenda Certitudini de statu præsentis Gratiæ, de quo Controversia est, nullum facit præjudicium, uti potè quæ suum in hac Vita habet locum. Et quamvis, posito, à Augustinus de Vita solum beata hæc Christi verba intellexisset, quod loco non rectè inspecto putavit Bellarminus, tamen nec ipse standum existimavit huic Interpretationi, nec ante & post ipsum Doctores Papæi, nominatim *Salmero, Iansenius, Barradius* &c. ad *Christostomum, Theodoretum, Theophylactum* provocantes, qui de hac Vita & fidelium cognitione, atque hinc etiam Fidei certitudine explicarunt, ita ut Bellarmini opinio de generali cognitione Christi tanquam capitis Ecclesiæ, cum quâ conjunctissimè unitus est, vim Christi verborum non exhauriat, ne dicam, improprie Bellarminum scripsisse, *caput esse corpore, & corpus in capite*, uti tyronibus Scientiæ naturalis constat. Ad *septimum* ex verbis Pauli, *Certus sum, quia neque Mors* &c. testimonium non minorem Augustino inferri in iuriam Bellarmini, dum Evangelicis ejus Explicationem objicit ac quasi contrariam opponit.

Tud. 15.

Rom. 8.
Joh. 15.

Vid. Hülf.
in Aug.
Conf. pag.
324.

Rom. 8.

Nam quod de *predestinatis in genere* Apostoli verba intelligat, vel mille fiduculis ex libro de *Corruptione & Gratiâ* non extorquebit, ac merum est Bellarmini figmentum, quo imponere voluit incauto Lectori; neque etiam locus ex libro de *Moribus Ecclesie* citatus à Bellarmino quidquam habet, quod vel verbulo Certitudinem Evangelicam oppugnet. Et si Augustini mentem super hoc Apostoli Oraculo penitus indagemus, ubi ex professio eam explicavit, manifestum evadet, stare eum non ex parte, sed totum à partibus Evangelicorum: Nimirum in expositione quarundam Propositionum ex Epistola ad Romanos, ubi hæc Pauli verba sunt enucleanda, suam de eis sententiam his exposuit verbis: *Quod dicit, Certus sum, non dixit, opinor. Plenâ enim fide tenuit, quod nec Mors ulla, nec vitæ temporalis promissa, nec cætera subsequentiâ possunt credentem à Charitate Dei detorquere.* Nota bene, Lector. *Plenâ dixit fide.* Neque hoc de Apostolo tantum voluit intellectum Augustinus, sed etiam de quovis credente. Si enim Paulus plenâ tenuit fide, uti Doctor sanctus vult, nihil credentem posse à charitate Dei detorquere, simul etiam indicavit & subintellectum voluit, quod exinde sequitur, credentem quoque eadem plenâ fide certum esse & indubium de semetipso, quod non possit à charitate Dei, rebus ita stantibus, uti ante eadem docuerunt, detorqueri & separari.

Progredimur nunc ad decadem testimoniorum, quæ certitudinem Evangelicam suo adprobant consensu, frustra obtinent Bellarmino, atque ad effugia quædam levioris momenti confugiente, ut docebitur. Ad *primum* certè ex Enarratione in Psalmum octuagesimum & octavum nihil prodest, quod Augustinum ex mente Regii, Vatis agere dicit de *Regno Christi in Ecclesia*. Hoc enim quamvis sit verum, tamen simul etiam egit de speciali in habitatione Christi in fidelibus, quod verba proximè antecedentia testantur, ubi sic legitur: *Nunc Christus in nobis habet sedem suam; ædificata est sedes ejus in Nobis. Nisi enim sederet in nobis, non nos regeret; Si ab illo non regeremur, à nobis ipsis præcipitaremur. Sedet ergo in nobis, regnans in nobis.* Utque hæc confirmaret Pater augustissimus, applicavit juramentum Davidi factum, ostendens, quod illud propter eandem promissionis divinæ certitudinem de speciali in habitatione Christi Regis in fidelibus quoque locum habeat. Caditque hinc vanus Bellarmini timor de *factantia*, quia hæc certitudo firmata juramento Dei non innititur Justitiæ in hærenti & *proprie*, sed inhabitantis Christi Regis, qui Justitiam suo Merito & obedientia comparatam suis fidelibus per fidem ex singulari Gratiâ imputat & adpropriat ita, quasi ipsimet eam impetrassent ac merito fuissent. Ad *secundum* ex opere sermonum de Verbis Domini testimonium, quod luce meridiana clarius, adeoque omni exceptione majus est, Bellarminus aliud nihil habuit, quam ut distingueret inter *certitudinem & fiduciam*, de hæc non illâ Augustinum esse locutum concedens. Verum si fiduciam commendavit suis auditoribus Pater Sanctus, cur non credendum sit, eum simul etiam commendasse Fidei & Gratiæ per illam impetratæ certitudinem? Quæ enim quisq; erit hominis Christiani ad Deum Patrem, quem invocat, fiducia, si nulla adsit Fidei certitudo, si de Gratiâ Patris adhuc dubitare cogitur. Apæge hanc Fidem & fiduciam nimis angustam, quæ Doctore augusto in mentem non venit, aut venire potuit. Ad *tertium* è Commentario in Johannem, quod itidem sua radiat luce, dum Bellarminus respondet & concedit, posse fidelem certitudine infallibili planeque divinâ colligere, se in Judicium non venturum, *si promittentis fidelitas attendatur*, nihil aliud dicit, quam Evangelici, qui nullo planè modo respicimus *dispositionem propriam*, sed gratuitam promissionem; quæ etsi conditionata est, uti sonat verbis, talem format tamen in Logica Spiritus Sancti propositionem, uti vocant, majorem, sub quâ tanquam universali & illimitatâ homo fidelis & illuminatus non solum teste Conscientia per Spiritum gratiæ serenatâ tutò potest subsumere, se fidem habere, non hypocriticam aut qualemcunque æquivocam, sed veram, vivam & justificam, in quæ Christum Mediatorem fiducialiter credere, sed etiam inde firmiter & per legitimam ex omni parte consequentiam concludere, esse se in statu gratiæ apud Deum, & spe certa habere se jam vitam æternam, iis à Deo promissam, qui in fide constanter ad finem usque perseveraverint. Ad *quartum* è Commentario in Psalmum Davidis penultimum Bellarminus contra verborum tenorem Augustino aliam adscribit mentem, dum loqui eum scribit de notitia tantum *conjecturali*. An enim poterit in homine justificato esse *Fides sincera, Spes certa, Charitas absque simulatione*, & simul Notitia tantum *conjecturalis*? Hoc alii dicant, & aliis dicatur, non iis, qui accu-

ratus didicerunt, quos fructus hæ tres sorores conjunctissimæ, vel secundum alios Mater cum filiabus, nimirum Fides cum Spe & Charitate ferant, ex quibus possint agnosci in homine justificato sedem fixisse, non otiosæ, sed operosæ semper, adeoque latentes minime, verum quasi in publicum prodeuntes, quam maxime autem hospiti non incognitæ, sed de suamet præsentia sufficiens testimonium præbentes. Qualis præterea erit *Conscientia gloria*, si Fides meris nititur conjecturis, nullaque Fidei Deo gratæ certitudo est in homine justificato? Procul iterum absit à Dei filio talis Fides, si conscientia cum perpetuis incertitudinibus luctandum est, neque habeat, ubi ruto pedem figere possit. Ad *quintum* ex opere sermonum de Verbis Apostoli Bellarminus præter necessitatem est prolixus, & multa dicendo vel scribendo parum aut nihil ad rem profert, multò minus Explicationem *Catharini*, qui Fidem integram, quam Augustinus propter objectum commune notanter etiam dixit *catholicam*, id est, omnibus in univèrsum fidelibus communem, de modo; *delectationem* (NB. Editio, quâ nunc utor, legit *dilectionem*) Justitiæ autem de signo inhabitantis Sancti Spiritus intellexit, per absurditatis imputationem facit suspectam, utpotè quæ ex ipsis Augustini verbis clarè satis firmatur. Ad quem namque modum ipsam Spiritus Sancti inhabitationem adscribit *Misericordia divina*, ita cognitionem hujus inhabitantis S. Spiritus, modum verò cognitionis & adprehensionis, atque sic etiam provenientis inde certitudinis adscribit *Fidei*, non qualicumque & quocumque etiam veniat nomine, sed per emphasin notatu dignam *integre & Catholice*, quia, uti coeptum est moneri non alia fide hic vel ille cognoscit, in se Spiritum Sanctum habitare, sed omnes & singuli fideles eadem ratione nimirum objecti, etsi forè in hoc vel illo diversifint & reperiantur, diverso etiam tempore gradus, ita ut fides sit vel fortior vel debilior in hoc vel illo subiecto, hoc vel illo tempore, quod tamen hic non attenditur. Ut autem sic intelligamus Augustini hæc verba, faciunt proximè ibi antecedentia, in quibus quasi ex opposito ita scripsit: *Si quis spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Non ergo se exteodat, non se jactet, non sibi arroget virtutem propriam, e genâ & vitiatâ naturâ.* Attendatur ratio oppositorum, & mens Augustini erit appertissima, nec quicquam dubii restabit in ejus cum Evangelicis consensu; è contrario manifestus erit dissensus Synodi Tridentinæ ab Augustini sententia, quem præcavere hic laboravit Bellarminus. Ad *sextum* è Commentario in Johannem, unde supra ad Verba Christi de Unione sui & fidelium formavit objectionem Bellarminus, nunc iteratò respondet, sermonem esse de Christi *unione cum Ecclesia*. Sed præter id, quod huic responso tanquam in sufficienti ex ipsis Augustini verbis fuit oppositum, nunc insuper adimus, si Augustinus de non alia unione loquatur, quam ea, quæ est inter Christum & Ecclesiam, nullum fore discrimen, inter cognitionem fidelium & Sathanæ, quod tamen Christum in verbis, quæ Augustinus explicavit, attendisse, aut ipsumet Augustinum subintellexisse, non poterit dici absque insigni blasphemia in Christum doctorem, & absque grandi injuria Augustinum redundaturâ, Christo expresse de Apostolis, & sub eorum nomine de cunctis verè credentibus loquente, & singulare Fidei justæ & salvificantis privilegium insinuante, Augustino autem ad mentem *Jacobi* sæpius & accuratissimè inter fidem dæmonis & verè fidelium distinguente, ut supra in loco est ostensum. Ad *septimum* ex opere de Trinitate, quod duplex est, & utrumq; prolixius locis à Bellarmino citatis legitur, tale responsum dedit, quale Bellarminum pudere debuisse, si candide hoc negotium voluisset tractare, utpotè qui scire potuit & debuit, quæ sententia sit evangelicorum & de fidei respectu in oculis Dei, & de charitatis operibus, in hæc vita nunquam ita perfectis, ut ad ea unquam provocare liceat homini justificato. Hinc etiam fides sit ex ordine Divino organum, quo in actu justificationis homo gratiam Dei per Meritum Christi oblatam adprehendit, & justificatus jam certus est atque indubius, se esse & vivere in statu Gratiæ apud Deum Patrem, non tamen recipitur illa fiducialis adprehensio, tanquam actio quædam meritoria, propter quam homo in hoc statu Gratiæ manet, aut in eo se esse existimat, sed semper est in oculis Dei etiam in statu Renovationis instrumentum, non tamen otiosum, sed operosum, uti erga Deum in continuata Gratiæ consequentis adplicatione fiduciali, unde oritur illa de præsentia Certitudo, quam defendimus, ita erga proximum in operibus charitatis ab ipsomet Deo præscriptis, quæ etsi nunquam sunt ita ex omni parte perfecta, ut non hic vel ibi Deus jure aliquid posset desiderare, si veller ea ad Normam & rigorem Legis examinare, tamen

vid. sup.
I. cit. pag.
478.

tamen quia ex Fide verâ & sincerâ non hypocraticâ sunt profecta, vi promissionis Divinæ credunt, eâ Deo non ignata fore, Christo supplente per obedientiam Legi præstitam, quæ eisdem ex imbecillitate humanâ defunt. Ad octavum è Commentario super Epistolam Johannis Bellarminus ex una parte est justo liberalior, charitati plus debito adscribens, ex altera autem justo restrictior, de artibus charitatis ab homine justificato susceptis dubitans, num veræ charitatis sint, annon? utraq; ex parte Augustino alienam adfingens Mentem. Ad nonum ex libro de Medicina Pœnitentiæ prolixius quidem respondet, sed parum ad rem autrei præsentis Scopum, imò cum non planè nullo sententiæ Evangelicorum commodo. Nam ubi confert locum ex opere adversus Cresconium, uti non malè putat, parallelum, quo verbum *credimus* per synonymum *confidimus* explicatur, nihil aliud agit, quàm ut eam magis confirmet. Cætera huc non pertinent, adeoque nullo etiam uberiori indigent responso. Ad decimum denique ex Enarratione Psalmi post octogésimum quinti respondet, Fidem à spe, & hanc ab illâ distinguens, quam distinctionem in se consideratam admittunt facillè Evangelici; adplicationem verò hic factam adprobare possunt minimè, quasi ex Augustini sententia homo justificatus dicere possit, *sanctus sum*, videlicet ex bonâ spe, non autem ex fide, nimirum divinâ, dum humana nullum hic locum habet; quia non semel hætenus dictum & observatum est, spem esse Fidei justî & salvificæ individuum comitem & pedissequam, vel potius propriè loquendo Fidei & effectum, ita ut nihil de spe possit dici, quod non etiam de Fide dicatur, quamvis, dum nobis hic de sanctitate non futurâ, sed præsentî sermo est, non ad spem, sed ipsam fidem sit respiciendum, & quidem eò magis, quia insuper non de sanctitate interna & in hærente agitur, sed imputata, Christi videlicet, quæ non nisi fide apprehenditur, & adplicatur, ipsomet Augustino in ejusdem Psalmi explicatione uberius id ostendente, & verbis quidem immediate sequentibus: *si dixeris, te sanctum esse ex te, superbus es, Rursus, fidelis in Christo & membrum Christi, si te non dixeris esse sanctum, ingratus es.* Et iterum post aliqua: *Si Christiani omnes & fideles & baptizati in illo ipsum induerunt,* (Nota benè, induerunt) *si membra sunt facti corporis ejus & dicunt se sanctos non esse, ipsi capiti faciunt injuriam, cujus membra sunt facta.* Quod superest de exèplo abrahæ ex numero fidelium, qui de gratia apud Deum perhibentur fuisse certi, Bellarmini provocatio ad singularem à Deo revelationem huc non quadrat, quia Abrahamus non demum illo tempore factus est de ea certius, quo Dei mandato Isaacum offerre in sacrificium voluit, sed ante dudum, quod ex Mosis descriptione Paulus, & ad utriusque mentem Augustinus non semel monuit, tum quasi exemplar & typum cunctis fidelibus commendans, certe non ad dubitationem, sed ad Fidei certitudinem amplectendam.

Atque sic etiam certitudo Fidei & gratiæ præsentis ex Augustini autoritate & consensu & evicta, nihilque restat, quàm ut breviter & loco adpendicis subjungatur, quæ mens evangelicorum & Augustini sit de *Certitudine Prædestinationis*, uti loquitur Bellarminus, vel ut alii, de *Certitudine perseverantia*, adeoque etiam æternæ salutis & Beatitudinis, quam uti similiter defendunt evangelici ex autoritate divina, ita eam non omni modo statuunt absolutam, sed certis conditionibus limitatam, Augustino etiam non contradicente, utut Bellarminus eum nobis cum aliis Ecclesiæ Doctoribus, nominatim *Chrysostomo & Hieronymo*, opposuerit, sed ita, ut si loca ex iis citata penetrantius inspiciantur, cum hic quoque operam luisse manifestum sit. Nos cæteris nunc sepositis de Augustini solum consensu ex instituto ratione sumus solliciti, ex cujus opere de civitate Dei sequentia adducit verba Bellarminus: *Licet sancti de sua Perseverantia premio certi sint, de ipsâ tamen Perseverantia sua sunt incerti. Quis enim hominum, se in actione perfecta que justitia perseveraturum usque in finem sciat, nisi aliqua revelatione ab illo fiat certus, qui de hac re justo latentique judicio non omnes instruit, sed neminem fallit?* Et quia *Bucerus* hunc Augustini locum prima facie aliquanto duriorum emollire studuit, ideò Bellarminus alia duo loca ex eodem adduxit, quibus hunc firmare se posse putavit. Priorem ex libro de Correptione & Gratia, ubi hæc leguntur: *Quis ex multitudine fidelium, quamdiu in hac vivitur Mortalitate, in numero Prædestinationum se esse præsumat?* Posteriores ex opere de Bono Perseverantiæ: *Advocationem* (secundum Propositum, quæ propria est electorum) *pertinere nullus est homo ab hominibus certa adseveratione dicendus, nisi cum de hoc seculo exierit, in hac autem vita humana, qua tentatio est super terram, qui vide-*

vid. Hulf.
l. cit. p.
798.

l. II. c. 12.

c. 13.

c. 13.

ur stare, videat, ne cadat. Post aliqua ex eodem loco monet Bellarminus, ut
 lissimum esse ad Humilitatem conservandam, ut non sciatur in hac vita, quis ad nume-
 rum electorum certo pertineat. Tandem addit, Augustinum in eodem opere pru-
 denter monere, ut cum in Concione ad populum de electis loquimur, utamur prima vel
 c. 22. secunda persona ponentes in eo numero nos & adjuutores nostros, ut ostendamus, bene nos
 sperare tum de nobis, tum de illis etiam; at cum loquimur de reprobis, utamur verbis per-
 sona tertia, ne nobis aut auditoribus male ominari videamur. Quod testimonium ex
 opere de Civitate Dei attinet, illud seipsum explicat egregie, modo proxime se-
 quentia attendantur verba, quibus notatu & observatu dignissimam comparatio-
 nem inter Adamum in statu concreatae Imaginis Divinae, & hominem in statu iusti-
 ficationis instituit, hic omnino legenda, ut mens augustissimi doctoris, pateat,
 qui evangelicis hic etiam per omnia consentit, scribens: *Quantum pertinet ad dele-
 ctationem presentis boni, beator erat primus homo in Paradiso, quam quilibet iustus in
 hac infirmitate mortali: quantum autem ad spem boni futuri, beator quilibet in quibuslibet
 cruciatibus corporis, (Nota iterum bene) sed certa veritate manifestum est, sine sine se
 habiturum omni molestia carentem Angelorum societatem, in participatione summi Dei,
 quam erat ille homo casus sui incertus in illa magna Paradisi felicitate.* Urgent certe haec
 verba, nisi doctorem augustissimum in verbis immediate coherentibus sibi et ipsi
 contradixisse vel scripsisse sit statuendum, ut priorem testimonii huius partem, quam
 Bellarminus ad incertitudinem demonstrandam vocavit in subsidium, non aliter
 intelligamus, quam quod Gratiae praesentis majorem statuerit esse certitudinem,
 quam futurae, ac justificatos de Perseverantia dixerit incertos, quasi minus certos,
 quam de ipso Perseverantiae praemio. Alias si eos omnino dubios ac incertos de Per-
 severantia putasset, non potuisset eos dicere beatores Adamo in Paradiso, multo
 minus opinione remota certam eis veritatem adscribere, id est, certa & ab ipso et
 Deo praescriptae conditioni innixam. Objectioni e libro de *Correptione & Gratia*,
 qua Praesumptionem a fidelibus removet, supra jam satis est factum & ostensum, om-
 nem superbiam & securitatem ab evangelicorum sententia abesse tam quoad Gratiae
 praesentis, quam & in primis quidem futurae certitudinem. Hinc etiam ipse Augu-
 stinus in verbis proxime antecedentibus bene monuit. *Quod etiam perseveraturus san-
 ctus ista dicuntur, quasi eos perseveraturos habeatur incertum, non aliter hoc audire de-
 bent, quibus expedit non altum sapere, sed timere.* Et in proxime sequentibus, id
 occultari opus est in hoc loco, ubi sic cavenda est elatio, ut etiam per Angelum Satanae, ne ex-
 rolleretur, tantus colaphizaretur Apostolus. Hinc Apostolis dicebatur, si manserit in
 Me, illo dicente, qui illos utique sciebat esse mansuros. Quae vero ex opere de *Bono
 Perseverantia* Bellarminus adduxit, huc omnino non pertinent, ubi agitur de cer-
 titudine, quam homo de propria habet Perseverantia, cum Augustinus ibi de
 certitudine loquatur, quam homo unus de altero habet, quae omnino incerta &
 fallibilis est, de qua porro ita loquitur, *ideo non perseveraturus perseveraturus provi-
 dentissima Dei voluntate miscentur, ut esse discamus non alta sapientes, sed humilibus
 consentientes, & cum timore & tremore nostram ipsorum salutem operemur.* Caeterum
 quanta Fidei certitudine promissiones divinas de futuro aeternae Beatitudinis statu
 nos oporteat amplecti, alibi docuit expressius, nimirum in enarratione Psalmi post
 centesimum & quadagesimum octavi, ubi sequentia leguntur totum hoc ne-
 gotium insigniter illustrantia: *Erigat se humana fragilitas, non desperet, non se colli-
 dat, non se avertat, non dicat, Non ero. Qui promissit, Deus est, & venit, ut pro-
 mitteret, adparuit hominibus, venit suscipere mortem nostram, promittere vitam suam.
 Promissit nobis, quod ibi simus futuri, unde venit & ait, Pater, volo, ut, ubi Ego
 sum, & ipsi sint mecum.* Tanta praesens dilectio, quia, ubi nos eramus, fuit no-
 bis cum, ubi ipse est, erimus cum illo. *Quid tibi promissit Deus, o homo mortalis? Quia
 victurus es in aeternum. Non credis? Crede, crede. Plus est jam, quod fecit, quam quod
 promissit. Quid fecit? Mortuus est pro te. Quid promissit? ut vivas cum illo. Incredi-
 bilis est, quod mortuus est aeternus, quam ut in aeternum vivat mortuus. Iam quod incre-
 dibilius est, tenemus. Si propter hominem mortuus est Deus, non est victurus homi-
 cum Deo? Non est victurus mortalis in aeternum, propter quem mortuus, qui vivit in aeternum.* Haec suis Auditoribus praeposuit Augustinus, non alium in finem, quam ut
 omni modo infallibilem provocans, omnemque dubitationis scrupulum eis eximeret, ad promissionis divinae veritatem
 Post-

Possemus hic canere receptui, nisi Bellarminus huic quaestioni adhuc aliam subjungeret, ac evangelicis simul errorem impingeret, hæresi quondam Joviniani non adeo dissimilem, statuentibus scilicet, *omnes justos aequaliter esse justos, ita ut neque unus sit justior alio, nec eodem homo crescat in iustitia*, vel tribus verbis à nostris cervicibus depellendum. Quamvis enim non admodum impertinenter nostram explicet Mentem, quod nimirum non dicamus cum Stoicis & Joviniano, *Virtutes esse pares, aut peccata esse paria*, neque negemus, *posse hominem crescere in Fide, Spe, Dilectione, aliisque Virtutibus*, neque etiam dicamus, *non esse unum alio majorem*, quod attinet ejusmodi Virtutes, sed adfirmemus, *per has Virtutes neminem justificari*; atque per hoc, *crescere in Fide & Charitate, non esse, crescere in iustitia* nimirum justificante, de qua agitur, & ex eo, quod alius alio Fide & Charitate sit major, non efficit, ut unus alio sit justior, quandoquidem una ex eadem Christi iustitia Fide adprehensa atque à Deo imputata omnes justificari doceamus, ea tamen, ut de scripturae dictis nunc taceam, ex Augustino objecit testimonia, quæ non de Justitia Christi imputata, sed de Justitia Renovationis quotidianæ loquuntur, uti eorum inspectio & accuratio consideratio Lectori facit manifestum. Sunt ea autem tria, breviter ponderanda. *Primum* ex opere sermonum de Verbis Apostoli: *Justificati sumus, sed ipsa iustitia, dum proficit, crescit*. Secundum ex opere Epistolarum, *Induti sunt sancti iustitia, alius magis, alius verò minus*. Tertium ex opere in Johannem, *Ipsi spirituales sancti in Ecclesia sunt alij sanctiores, alij aliis meliores*. Non dubito, quin Lector Veritatis studiosus & judicare doctus ex ipsis hæc verbis cognoscat, quam impertinenter Bellarminus ea ex Augustino contra Evangelicos adduxerit. Ut tamen hoc magis manifestum fiat, è Contextu id etiam ostendetur. Et quidem in primo non de Justitia, per quam justificamur coram Deo, sed de Justitia, per quam nos esse justificatos coram hominibus ostendere sumus obligati, sanctum agere Doctorem, in paulò antecedentibus tatis luculenter posuit ob oculos, vel potius obtaures: *Quid est iustificari? Erit quisquam nostrum, qui audeat dicere, justus sum? Puto enim, hoc esse, justus sum, quod est peccator non sum; Si audeat hoc dicere, occurrit tibi Iohannes, si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, & Veritas in nobis non est. Quid ergò? Nihil habemus de iustitia, an habemus? sed non totum habemus, hoc ergò queramus. Si enim aliquid habemus, & aliquid non habemus, crescat quod habemus, & implebitur quod non habemus*. Quis non videt, Patrem augustissimum hic agere de Justitia renovationis, non Justificationis, cum huic imperfectionem adscribere non liceat, per hypotheses eorum quoque, qui per justitiam inhærentem & infusam nos putant justificari. Ita in Secundo scribit Augustinus ad Hieronymum contra dictum antea Stoicorum & Joviniani errorem de eadem Justitia vel potius Injustitia uti proximè sequentia docent: *Nemo hic vivit sine peccato, & hoc alius magis, alius verò minus; optimus autem est, qui minimum*. Quod imprimis observare debuit Bellarminus, Justitiam, per quam formaliter putat hominem justificari, vocans contra alios *habitualem*, ad quam Augustini verba non quadrant, si iterum ad hominem ex hypothesi propria adversarii disputandum est. Neque in Tertio quidquam est, quod ab hoc ablutat scopo, aut jure possit Evangelicis opponi, utpotè in quo agit de effectu Baptismi, Gratia nimirum Dei & remissione peccatorum, non dependente à Justitia conferentis Ministri, quod in antecedentibus & sequentibus ostendit. Antecedenti sunt hæc: *Si pro diversitate Meritorum Baptisma sanctum est, quoniam diversa sunt merita, diversa erunt Baptismata, & tandè quisque aliquid melius putatur accipere, quanto à meliore videretur accepisse*. Sequentia verò: *Si unus ab illo, verbi gratia, justo & sancto baptizetur, alius ab alio inferioris Meriti apud Deum, inferioris gradus, inferioris continentia, inferioris Vitæ; unum tamen & par æquale est, quod acceperunt &c.* Quæ postrema apertissime sententiam Evangelicorum exhibent & confirmant, ita ut ajo præter id testimonio non sit opus.

Serm. 16.
Epist. 29.
Tract. 6.

LIBRI QUARTI

CAPUT SEPTIMUM & seqq.

DE

BONORUM OPERUM
NECESSITATE.

PRætermiffis Quæftionibus præviis, quibus huic Controverfiæ quali prælude-
re visum fuit Bellarmino, sc. de *discrimine Legi & Evangelij*, quod ante etiam oc-
casionem data fuit explicatum & fufficienter ostensum, in ejus explicatione nos ab-
c. 14. vid. Urfin. Anal. S. T. 2. lib. 5. cap. 9. Augustini sententia non dissentire; item, de *Libertate Christiana*, circa cujus dis-
cussionem Bellarminus cum larvis pugnavit, ac Evangelicos sibi finxit hostes, qui-
buscum iniret Bellum, nec id sine aliquo falsi crimine, quod aliis jam fuit obser-
vatum, ut iteratâ non sit opus Apologia; recta progredimur ad illud; in quo
quam-maximè dissentimus, videlicet, ipsam operum bonorum necessitatem, de
qua quidem Bellarminus, (quod cum debita gratiarum actione agnoscimus, &
instar Apologiæ opponimus præcedenti gravissimæ accusationi de libertate ab ob-
ligatione legis & operum bonorum studio,) monet ingenuè, nos in eo conve-
nire, quod opera bona sint necessaria, necessitate præsentia, quoniam alioquin Fides
non esset vera nec viva, nisi bonos faceret fructus, addens tamen ex suâ & com-
muni Ecclesiæ Romanensis sententiâ, ea etiam esse necessaria ratione efficientia,
quoniam, uti scribit, efficiunt salutem, & non sola Fides sine ipsis. In ejus demon-
stratione post integram testimoniorum decadem è Scripturâ Sacrà, ubi altum de
authoritate Augustini silentium est, tandem provocat ad integras Petri, Johan-
nis, Jacobi & Judæ Epistolas, de iis ex Augustini libro de *Fide & operibus* ob-
servans, quod intentionem suam eò potissimum direxerint, ut probarent, ope-
ra bona justificatis hominibus esse ad salutem necessaria, neque solam Fidem sufficere,
ut quidam illo tempore ex epistolis Paali non benè intellectis cæperant prædi-
care.

Hæc etiam inculcavit sub initium demonstrationis ex Ecclesiastica traditione,
nimirum, ipso tempore Apostolorum non defuisse, qui dicerent, solam Fidem
sufficere, ac opera non esse necessaria, Augustino iterum teste præter locum pro-
ximè citatum, in opere de *unico Baptismo contra Pelagianum*; Imò eundem de Evno-
mio in libro de *Hæresibus* scribere, quod usque adeo fuerit inimicus bonis moribus,
c. 10. ut adseveraret, quod nihil cuiquam obesset quorumlibet perpetratio & perseverantia
c. 54. peccatorum, si hujus, quæ ab illo docebatur, fidei particeps, esset.

Ex quibus apparet, scribit Bellarminus, ab antiquissimis Patribus habitas
pro hæreticis, qui sine bonis operibus salutem promittebant hominibus. Post tria ex
Augustino adduxit testimonia, quibus hanc operum bonorum necessitatem ad salu-
tem adstruere laboravit. Primum ex libro ante laudato de *Fide & operibus*, ubi
c. 14. sequentia leguntur: Illud videamus, quod excutiendum est à cordibus religiosi, ac
malâ securitate suam perdant salutem, si ad eam obtinendam sufficere putaverint so-
lam Fidem. Secundum ex opere de *Gratia & Libero Arbitrio*: Homines non intelligen-
tes, quod ait Apostolus, arbitramur hominem justificari per Fidem sine operibus, pu-
c. 7. taverunt, Eum dicere, sufficere homini Fidem, etiamsi malè vivat, & bona
non habeat opera; quod absit, ut sentiret Vas electionis. Tertium è Præfatione in
Psalmum trigessimum & primum vel potius secundum Ebræos secundum: Si quis
se infirmitati propriæ omni ex parte donaverit, & in hanc cogitationem se inclinaverit,
ut dicat, quia Dei Misericordia omnibus peccatoribus, in quibus liber peccatis perseve-
rantibus, tantum credentibus, quia Deus liberat, Deus ignoscit, ita in finem est parata.

ut nemo pereat fidelium iniquorum, id est, nemo pereat eorum, qui dicunt sibi, quid vis faciam, quibuslibet facinoribus & flagitiis inquinat, quantumlibet peccem, liberat me Deus Misericordia sua, quia credidi in Eum; qui ergo dicit, neminem perire talium, cogitatione mala inclinatur in impunitatem peccatorum; & DEVS ille iustus, cui cantatur Misericordia & Iudicium, non sola Misericordia, sed & Iudicium, invenit hominem male de se præsumentem, & ad interitum suum DEI Misericordia abutentem, & necesse est, ut damnetur. Ubi Augustinus ex mente Bellarmini videtur, aperte hominem Lutheranum, describere, qui suam respiciens infirmitatem, & existimans, impossibile esse, ut Legem DEI possit servare, totum se transfert ad præsumptionem Misericordiae DEI, & hoc ipso, quod credit, se à DEO liberandum, & sua peccata propter Fidem non imputanda, existimat omnia sibi jam esse salva. Caterum, quæ Bellarmini est additio, ejusmodi hominem dicit Augustinus ad interitum suum abuti Misericordia DEI, & necessario damnandum esse.

Equidem possent tria hæc Augustini testimonia, & quæ generatim ex Eo proponuntur à Bellarmino, generali quodam responso expediri, atque ad oculum ostendi, quam impertinenter ea Sententiæ Evangelicorum, opponantur, de quibus ipse Bellarminus, quod ante monitum, vi Veritatis adactus scripsit, quod præsentiæ necessitatem urgeant, & si rationem efficientiæ inficiant. Ne tamen quidquam videamur prætermisisse, juvat hic etiam ire ad speciem, & Augustini dicta, quamvis breviter, cum orthodoxa Evangelicorum Sententia conciliare. In primis verò, quod attinet scopum Epistolarum Petri, Johannis, Jacobi & Judæ, dudum post alios plures Hülfemannus noster opera laudabili in Harmonia Pauli & Jacobi contra Hugonem Grotium luculenter docuit, non solum Augustinæ Confessionis Apologiam ejusdem Sententiæ cum Augustino fuisse, verum & ipsummet Augustinum in laudato de Fide & operibus libro non definiisse, quod contra Bellarminum & quosvis operum bonorum ad Salutem Cogentios bene notandum venit, quod Salus animarum communis sit effectus & Fidei & operum ex Fide ortorum, sed quod operæ sint inseparabile requisitum veræ & efficiæ Fidei; ac proinde in ista phrasi, Fidem sine operibus nihil prodesse, (Notate hoc iterum vos operari,) *si sine operibus*, pertinere ad Subjectum Propositionis, non verò ad Prædicatum, atque hoc exinde manifestum esse, quod Augustinus ipse subjectum propositionis limitet, scribendo, *Non prodesse qualemlibet Fidem, qua in DEVM creditur, sed eam salubrem planeque Evangelicam, qua per Charitatem operatur.*

Itaque non distribui, nec etiam communicari illum effectum, qui dicitur; Salus & Justificatio, inter duas causas, quarum una sit Fides, altera autem charitas, sed ex verbis & mente Augustini circumscribi naturam Fidei ab effectu suo inseparabili & perpetuo, tanquam signo discretivo veræ Fidei ab imperfecta & insufficiente Fide, quæ Salutem sic ambit sola, ut negligat bonis operibus DEI viam tenere, quæ periphrasis est Fidei ab Augustino reprehensæ, quæ sic interpretatur Paulum, ut putet Eum dixisse, sufficere homini fidem, etiamsi male vivat, & opera bona non habeat. In opere de unico Baptismo, ad quod præterea in hoc negotio provocat Bellarminus, expresse agit Sanctus Doctor de insufficientia Fidei Historicæ, quam Dæmonibus quoque ex Jacobo adscribit, de qua nulla hic esse nobis controversiam constat. Verba Patris augustissimi hæc sunt: *Apostolus, cum quosdam redargueret, qui sufficere dicebant homini solam Fidem, nec ei Charitatis opera conjungebant, eos ex ista Dæmonum comparatione convicit, ne ideo se ad Deum pertinere existimarent, quod verum de Deo crederent, (non, quod fiducialiter in verum DEUM crederent,) etsi bona opera Fidei adjungere non curarent. Eos igitur, qui de Deo verum credunt, (non, qui fiducialiter in verum DEUM credunt,) & male vivunt, Dæmonibus comparavit &c.* Quæ de hæresi Evnomiana adspersit ex eodem Augustino, satis docent, ad præsentem iterum Controversiam non pertinere, ac Evangelicorum Sententiam de sola Fide salvifica, tam procul ab hac hæresi esse alienam, quam procul remotum est à terra Cælum; ipsa namque verba à Bellarmino citata ostendunt, Evnomium intellexisse Fidem, quæ ab illo docebatur, id est, capita Fidei, quæ ab illo proponebantur aliis, hic autem in controversiam veniente non alia Fide, quam qua DEI Gratia & Meritum Christi in Evangelio oblatum fiducialiter apprehenditur & adplicatur, uti sufficienter in

antecedentibus est explicatum. Quoad reliqua tria ex Augustino testimonia ex jam dictis res est clara & perspicua, quod nobis aduersentur minime, *primum* in primis ex libro de *Fide & operibus*, quamvis & cætera duo non nisi eò, etiam respiciant in totum. Certè locus ex opere de *Gratia & libero arbitrio* in proximè sequentibus explicat seipsum, ubi post Fidem non veram commendat eam, *quæ fideles DEI separat ab im-mundis Damonibus, qui credunt quidem, sed non operantur benè, non habentes Fidem, ex qua vivit iustus, id est, quæ per Dilectionem operatur, ut reddat ei Deus æternam vitam secundum eius opera*, de quorum posteriorum verborum sensu posthac in Controversia de *operum bonorum Merito* agetur. Verba è Præfatione in Psalmum trigésimum & primum vel secundum erunt manifestiora, ubi, quæ proximè sequuntur, simul habebunt locum. Proposuit nimirum Sanctus Doctor ibidem duo extrema, per quorum observationem à plerisque solet aberrari à via Salutis æternæ. *Anceps*, inquit in antecedentibus, *animus humanus & fluctuans inter confessionem infirmitatis & audaciam præsumtionis plerumque hinc atque inde contunditur, & ita impellitur, ut ei inquam libet partem cadere sit præcipitium*. Postquam igitur infirmitatis confessionem expressit verbis, quæ à Bellarmino sunt adducta, subiunxit quoque audaciam præsumtionis, hoc verborum tenore: *Si se in audaciam quandam præsumtionis erexerit, & de suis viribus iustitiæque præsumserit, & proposuerit animo iustitiam implere, & omnia, quæ præcipiuntur in Lege, ita facere, ut in nullo offendar, atque in potestate sua habere vitam suam, ut omnino nusquam labatur, nusquam deficiat, nusquam titubet, nusquam caliget, sibi que hoc tribuat & potentatui voluntatis suæ, etiamsi fortè impleverit omnia, quæ videntur justa coram oculis hominum, ita ut nihil inveniatur in vita ejus, quod possit ab hominibus reprehendi, ipsam præsumtionem jaclationemque Superbia damnat Deus*. Nullam hic Bellarmino ac Ejus ad seclis inferemus injuriam, dum prioribus verbis de confessione infirmitatis Augustinum aperte putat describere hominem Lutheranum, si ex jure talionis non injustæ dicamus, retorquentes, eundem Sanctum Doctorem verbis de audacia præsumtionis descibere hominem Papæum, pharificam Sanctitatem turgidam, ac omnes alios ab Instituto hocce suo remotos tanquam miseros peccatores contemnentem ac damnantem, ut ut agnoscamus minime, verba Augustini posse ad Sententiam Evangelicorum adplicari rite, quia potius ad imitationem & ductum Patris augustissimi utrumque extremorum vitantes, de quibus nimirum ita porro censuit: *Præsumptio de iustitia quasi dextra est, cogitatio autem impunitatis peccatorum quasi sinistra. Audiamus vocem Dei, dicentem nobis: Ne declines in dextram aut sinistram. Ne præsumas ad Regnum de iustitia, ne præsumas ad peccandum de Misericordia DEI. Ab utroque te Divinum revocat Præceptum, & ab illa altitudine, & ab illa profunditate. Illic si ascenderit, præcipit ab eis, hac si lapsus fueris, demergeris*. Et quia sibi met ipsi objecit, *Quid ergo faciam?* Respondit, *Psalmum nos id docere*, quem ibi sumit explicandum. Possunt hæc in præsens sufficere, contra illos etiam, qui non ita pridem damnatam Seculo antecedente hanc Phrasin *Majorificam* de necessitate bonorum operum ad Salutem non sine Scandalo & pravi Schismatis periculo, in Ecclesiæ theatrum reproduxerunt, iisdem uti de cætero rationibus & argumentis, ita etiam Augustini testimoniis utentes, de quorum mente jam dictum est, ut nihil amplius ad Institutum præsens possit desiderari. Nam quod aliqui addunt *quartum* ex libro *Quæstionum* octoginta & tertium, illud ab aliis excussum est atque ostensum, nihil aliud in eo contineri, quam quod Sanctus Doctor alibi pluries ad mentem Jacobi de Fide non mortua, sed viva docuit, uti supra etiam data occasione vidimus.

Vid. Ca-
lov. in
Harm.
p. 705.

CAPUT DUODECIMUM & seqq.

DE

Possibilitate Legis implende.

Hanc ut contra Evangelicos, adstruat Bellarminus, multis usus est Scripturæ Sacræ testimoniis, nullâ tamen adhibita in iisdem explicandis auctoritate Augustini, quam alias non parce solet adhibere. Quod verò hic omissum potuit videri, large compensavit, ubi ex Patribus idem fuit demonstrandum, prolixissime in Sententiam

tentiam Augustini inquirens, inprimis ad sequens testimonium ex libro *de Natura & Gratia* provocans, ubi sequentia leguntur: *Non jubet Deus impossibilia, sed jubendo admonet, & facere quod possis, & petere quod non possis.* Ubi docet Sanctus Pater juxta Bellarminum, omnia Mandata esse possibilia, sed alia immediate, alia mediate, id est, oratione mediante. *Addit*, Concilium Tridentinum citasse hoc testimonium, vel potius fecisse suum: *Chemnitium* verò respondere, Augustinum fuisse vexatum à Pelagianis ista Quæstione, essentne præcepta DEI possibilia, atque ad invidiam cavendam abstinuisset a voce *impossibilitatis*, interdum concessisse etiam, esse possibilia, sed sine præjudicio Veritatis. Nam in libro *de perfectione iustitie* scribere Augustinum, non esse Quæstionem, *an possit homo omnia vitare peccata, sed quando, & per quem?* Possit enim vitare, sed in alia vita, non in ista, & per Gratiam, non per Naturam; quod idem sit, ac si dixisset, Legem esse possibilem, sed in Cælo, non in terris, post Mortem, non in vita. Item in opere *contra duas Pelagianorum Epistolas* eundem scribere Augustinum, *Gratiam Dei dedisse homini studium præcepta servandi, & eandem Gratiam ignoscere, si quid minus fiat;* quibus verbis videatur Augustinus scribere voluisse, Mandata DEI non esse impossibilia, non quod possint impleri, sed quia indulgeatur, quod non impletur. At, *ut Bellarminus reponit*, Chemnitius confundit more suo duas Quæstiones, utrum præcepta possint servari, & an possit homo vivere absque peccato: Istæ autem Quæstiones adeò sunt diversæ, ut ad priorem Augustinus responderit semper adfirmando, ad posteriorem verò semper negando. Peccata enim venialia non sunt contra, sed præter mandata; & etiam si essent contra Mandata, non tamen est necesse, ut in quolibet opere peccatum veniale admisceatur. Itaque constanter docet Augustinus, uti Bellarminus putat, non posse hominem in hac vita cavere omnia peccata venialia, citatis sex diversis ex Eo locis. Atque hoc modo intelligitur, scribit porro, quod objicit Chemnitius ex libro *de Perfectione iustitie*. Non enim dicit Augustinus, Mandata servari posse in Cælo, non in terra; sed, *in Cælo, non in terra nos habituros eam perfectionem, ut vivamus omnino absque peccato, etiam veniali.* Imo alibi, nimirum in opere *contra duas Pelagianorum Epistolas*, cum Pelagiani colligerent ex Augustini Sententia id, quod nunc colligit Chemnitius, Legem videlicet in Cælo impleri posse, non in terra, respondit Augustinus, valde illos errare, Præcepta enim ad hanc Vitam pertinere, non ad aliam, scribens, *Hic præcipitur nobis ut diligamus, ibi autem diligere non obedientia, sed felicitas erit:* Quod autem subjungit ibidem, *Gratiam Dei præbere studium ad implenda mandata, & indulgentiam, si quid minus impletur;* non arguit, Præcepta esse impossibilia, sed, hominem non esse impeccabilem, sensus enim verborum est, ex gratia DEI hominem habere, ut velit & studeat implere mandata, quod si forte labatur aliquando & non impleat, ex Gratia itidem Indulgentiam esse sperandam. Jam verò, ita pergit Bellarminus, quod Augustinus ad Quæstionem priorem semper respondeat adfirmando, sequentia testantur loca. Primum ex opere *de Naturâ & Gratia*. *Eo ipso, quo firmissimè creditur, Deum justum & bonum impossibilia non potuisse præcipere, hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus; omnia quippe facilia sunt Charitati, cui uni sarcina Christi levis est.* Secundum ex opere de peccatorum meritis & remissione. *Non præciperet Deus aliquid, quod esset humana voluntati impossibile.* Et in eodem, *Dubitare non possum, nec Deum aliquid impossibile homini præcepisse, nec Deo ad opitulandum & adjuvandum, quò fiat, quod jubet, impossibile aliquid esse.* Tertium ex opere *de Gratia & libero arbitrio*, *Magnum aliquid Pelagiani se scire putant, quando dicunt, Non juberet Deus, quod scire, non posse fieri ab homine. Quis hoc nescit.* Quartum denique ex Enarratione Psalmi post quinquagesimum sexti, vel juxta Ebræos septimi, *Non imperaret hoc Deus, ut faceremus, si judicaret impossibile.* Inter Rationes, quibus eandem legis implendæ possibilitatem adstruere satagit Bellarminus, primam ponit hanc, *quod homo plus facere possit, quam Deus præcipiat, unde putat sequi, quod multò magis possit implere Præceptum.* Antecedentis demonstrationem hoc etiam Augustini testimonio ex opere Sermonum de Verbis Apostoli firmare conatur: *Non grande onus impositum est virginibus, major Amor imposuit majus onus, tanquam dicerent, Quid jubes? Ne simus adultera? hoc præcipis? Amando te plus facimus, quàm præcipis.* Quartam Rationem inde desumit, quia Christus orare nos docuit, *Fiat Voluntas tua &c.* ubi petimus, inquit Bellarminus, *gratiam implendi Præcepta, uti post*

cap. 4j.

Sess. 6.

cap. 11.

Resp. 16.

Lib. 3. c. 7.

L. cit.

cap. 69.

Lib. 2. c. 3.

& 6.

cap. 16.

Rom. 7.

post Cyprianum exponit Augustinus in opere contra duas Pelagianorum Epistolas ante citato. Ex numero objectionum contra hanc possibilitatem ordine & numero tertiam hanc adducit, quod Paulus de se scripserit, *Velle adjacet mihi, perficere autem non invenio*; ad quam respondet Bellarminus, loqui Apostolum de actu con-

Lib. I. c. 19.

rem non invenio; ad quam respondet Bellarminus, loqui Apostolum de actu concupiscendi, quem saepe nos dicit sentire, etiam quando non consentiamus, addens, quasi ad mentem Pauli, *Quamvis non sit peccatum, carnalem sentire concupiscentiam, & non consentire, nollet tamen homo captus eam sentire, & in partem infelicitatis suae ponit, quod cogatur etiam nolens carne Legi servire peccati, citatis triticibus ex Augustino locis, tanquam id ipsum confirmantibus. Sextam vero & ultimam objectionem ex Augustino hanc esse dicit, in opere retractationum sic scribente: Omnia mandata deputantur facta, quando, quidquid non sit ignoscitur. Respondet autem Bellarminus, loqui Augustinum ibi de summa perfectione implendi Praecepta quam dicat expressam fuisse à Domino per verba, *lot a unum aut unus apex non prateribit à Lege, donec omnia fiant*, quærere autem, num perfectio hæc possit haberi in hac vita, & respondere, non posse haberi, nisi hoc sensu, *quod omnia mandata deputantur facta, quando, quidquid non sit, ignoscitur*. Nam inter alia implenda Mandata etiam illud est, ut oremus, *Dimitte nobis debita nostra*. Ex quo intelligimus, scribit plus ultra Bellarminus, eam imperfectionem in Divina lege servanda adferri ab Augustino, quæ non sit prævaricatio integri præcepti, sed carentia perfectionis in ipsa Legis observatione, quomodo qui scribendo aut proferendo legem, proferret quidem omnes ejus dictiones & Syllabas, sed literulam aut literæ partem aliquam non exprimeret; hæc enim similitudine Dominus est usus, quia non ait Verbum unum, sed *lot a unum, aut unus apex non prateribit à Lege, donec fiant omnia*. Et quamvis hæc sufficere putat Bellarminus ad testimonium hoc Augustini explicandum, addit tamen ex superabundanti, si aperte dixisset Augustinus, omnia mandata deputantur facta, quando, si quod Mandatum violatur, ignoscitur, non deberet, nec posset inde colligi, legem Domini esse impossibilem; potest enim fieri, ut quis multa Mandata integre servaverit, & postea tamen aliquod aliud Mandatum non impleat, cujus prævaricationis agat pœnitentiam, & impetrata salvetur Indulgentia, ac si omnia custodivisset mandata.*

Math. 5.

Ad hujus Bellarminianæ Deductionis pro possibilitate Legis implendæ Examen ut nunc ex ordine deveniamus, posset id institui prolixius ex readsumptione hujus Controversiæ hoc Seculo à *Iansenio* Iprensi facta, qui hanc de Possibilitate Doctrinam hinc inde tanquam ex asse Pelagianam traduxit & ex Augustino refutavit, nisi sufficiens videretur indicasse digito *Vindicias Antithomisticas*, quibus ostensum est, quousque Sententia *Iansenii* recipiatur ab Evangelicis, & quid jure in ea possit desiderari, nobis hinc rebus sic stantibus de eo ex Instituti ratione sollicitis, ut Augustini mens indagetur ac videatur, an hic etiam Evangelicæ Veritatis sit *Testis & Confessor*; hoc tantum ad Quæstionis sensum legitime percipiendum præmonito, nos, quod Bellarminus etiam de *Cheemnitio* fassus est, non qualemcunque & inchoatam Legis Decalogicæ impletionem, sed perfectam, neque debitum ejus vel obligationem, sed ipsum perfecte implendi actum justificatis in hoc Imperfectionis statu denegare, in quo Augustinum habemus omnino consentientem, utur non semel DEUM non impossibilia jubere docuerit, id est, simpliciter impossibilia, & quæ nulla omnino ratione possint impleri, positis videlicet mediis, quæ ad hanc possibilitatem sunt necessaria, & sine quibus ea non potest impetrari, uti ipsemet Augustinus satis clare suam explicat mentem, nec opus sit, aliam & peregrinam ei adscribere Glossam. Locus certe ex opere *de Natura & Gratia* apertissime ostendit, quam voluerit intellectam possibilitatem, videlicet talem, qua ex mandato DEI fiat, quod homo potest præstare, ex una parte, id est, quousque potest viribus à DEO concessis pertingere, ex altera autem parte etiam, ut à DEO petat, non ut, quæ in hoc statu imperfectionis sunt impossibilia, fiant possibilia, verum ut, quæ homo hodie non potest, per quotidianum Gratia augmentum cras possit, adeoque per gradus semper ad majorem in Praxi Christiana & operum bonorum studio perfectionem ascendat, donec superatis tandem omnium Tentationum procellis & in stadio Christianismi occurrentibus impedimentis nihil amplius peccati superfit, inque eorum recensamur ordine, à quibus DEI Voluntas impletur perfectissime. Cadit hinc Glossa Bellarminiana de possibilitate partim *mediatâ*, partim *immediatâ*, si

de omnimodè perfecta voluerit intellectam, quod prædicatum in primis de *mediata* ad Augustini mentem dici potest minimè, de *immediata* etiam sano sensu debet intelligi, ne Doctor sanctus hic quoque sibi met ipsi contradixisset vel scripsisset videatur. Quamvis autem Synodus Tridentina hæc Augustini verba citando facere voluit sua, ostendit tamen *Chemnitius* noster, factum id esse invito & contraniteute Augustino, hoc ipsum dogma de possibilitate Legem Decalogenicam perfecte implendi tanquam Pelagianum errorem post *Hieronymum* impugnantem, quod *lansenius* etiam Yprensis non semel in suo notavit Augustino. Observandumque est, plura *Chemnitium* testimonia ad hoc probandum ex operibus Augustini adduxisse, quam Bellarmino hic visum fuit consultum repetere, adeo nimirum clara, ut non invenerit, quod aptè posset ad ea respondere, vel excipere. Videamus autem, quo generali responso cludere sit conatus ea, quæ contra hanc possibilitatem ex Augustino laudavit *Chemnitius*; quem accusat, quod more suo duas confuderit Quæstiones, unam de possibilitate præcepta servandi, alteram de possibilitate sine peccato vivendi, quas adeo diversas esse dicit Bellarminus, ut illam Augustinus semper affirmarit, hanc vero semper negarit. Atqui (ut in gratiam Methodi *Chemnitiane* in Examine Antri-Tridentino prolixus non sum, quia mallent forsitan hujus Synodi Defensores, non omnia ordine tam bono discussa fuisse) nemo judicare doctus non videt, si Augustinus concessit possibilitatem præcepta servandi, prout Tridentina Synodus decrevit necessario cum quoque debuisset concedere possibilitatem sine peccato, videlicet actuali, de originali enim Sermo non est, vivendi, nisi absurdissimus videri voluit Disputator, cum hoc ad illud quam maximè requiratur, & neutrum sine altero possit habere locum. Nec juvat emplastrum, quo Bellarminus tegere se posse putat hoc vulnus, distinctionis inter peccatum *mortale* & *veniale*, quasi ad possibilitatem servandi præcepta satis sit, si statuatur possibilitas vivendi sine peccato mortali, alia autem planè sit ratio venialium, utpote quæ non sint *contra*, sed *præter* Mandata DEI, quod supra ex Augustino fuit oppugnatum. Et si propriè velimus loqui, ac, quod Bellarminus ulterius hic urget, convincere nullitatis, ad opus bonum, ut dicatur ex aliqua parte vitiosum, non necessum est, ut admisceatur *veniale*, ipso nimirum actu accedens, & singularem faciens speciem, quocumque etiam veniat nomine; sufficit, ipsum opus laborare in aliquo genere causarum & circumstantiarum defectu quodam, adeoque in se consideratum juxta receptam & proverbialem loquendi formam non esse ab omni parte perfectum, quod facillime datur cognoscere, si ad Normam Legis perfectissimæ componatur, & uti justum est fieri, secundum omnes causas & circumstantias examinetur. Ut autem ad ipsa Augustini testimonia respiciamus, ad quæ *Chemnitius* contra Synodum Tridentinam provocavit, & Bellarminus ad suas trahere partes est conatus, in libro de *Perfectione iustitiæ*, contra Cælestium ita clare Evangelicam proponit Sententiam, ut non potuerit magis perspicue. Postquam enim, observante *Chemnitio*, de possibilitate vivendi sine peccato agens in primis notandum proposuit tempus, *quando id fieri possit*, apertissime in proxime sequentibus scripsit: *Si modo est*, nimirum possibile vivendi sine peccato, *non omni anime fidei posita in corpore Mortis hujus orandum est & dicendum*, Dimitte nobis debita nostra, *cum jam in Sancto Baptismo universa fuerint dimissa præterita*. Quisquis autem membris Christi fidelibus hoc non orandum esse conatur persuadere, *nihil aliud, quam se ipsum Christianum non esse profiteatur*. Paucis intercedentibus, *Non potest esse homo sine peccato, etiamsi velit, nisi adjuvet Gratia DEI per Iesum Christum Dominum nostrum*; Quando autem hujus Gratia adjuvatorum deducatur in effectum, his docet verbis: *Quod ut perficiatur, & nunc in proficientibus agitur, omni modo implebitur contentione Mortis assumpta, & charitate, qua credendo & sperando nutritur, videndo & obtinendo perfecta*. Quis non videt, Patrem augustissimum ita explicare hanc possibilitatem, ut expressissime distinguat inter perfectionem & perfectum, hunc, non illam, hujus Vitæ statui adscribens, eomet ipso mentem Evangelicorum eleganter illustrans? Plura, quæ copiose ibidem in hanc rem habet Augustinus, ac pluribus è Sacra Scriptura testimoniis confirmat, non addo, cum hæc, & quæ ex aliis sequuntur operibus, Sententiam Doctoris sancti sufficienter explicant, ut ampliori opera non sit opus.

Ut enim pergamus in opere *contra duas Pelagianorum Epistolas ad Bonifacium*, cujus autoritate *Chemnitius* Synodi Tridentinæ doctrinam de possibilitate Legis implendæ

1. Cor. 12.

plendæ ulterius impugnavit, Augustinus noster est totus, multis nostram de impossibilitate & hinc imperfectione sententiam verbis comprobans, præsertim verò sequentibus: *Quid est, Virtus in Infirmis perfcitur, nisi quia in isto Infirmis loco hæc enim perfectio potest esse virtutis, (qualis perfectio?) ut in ipsa Infirmis perfectionem infirmam & Infirmam perfectam, præsentem elatio reprimatur, quæ utique Infirmis futura immortalitate sanabitur?* Pergit, *Quomodo enim est dicenda vita plena, ubi etiam de Angeli Sathana colapho necessaria adhuc est Medicina?* Addeat, quæ omne ferunt in hac Controversia punctum, notatu dignissima, & majoribus scribenda literis: *Ex quo factum & Virtutem, quæ nunc est in homine justo, perfectam hæc enim nominari, ut ad eius perfectionem pertineat ipsius etiam imperfectionis & in veritate cognitio, & in humilitate confessio. Tunc enim & secundum hanc Infirmam*

NB.

*pro suo modulo perfectam ista parva iustitia, quando etiam intelligit, quia sibi desit, laqueum Apostolus & imperfectum se dicit, & perfectum. Imperfectum scilicet cogitando, quantum illi desit ad iustitiam, cuius plenitudinem adhuc esurit ac sitit; perfectum autem, quod & suam imperfectionem confiteri non erubescit, & ut perveniat, bene procedit, sicut dicere possumus, perfectum esse viatorem, cuius bene promovetur accessio, quamvis non perficiatur intentio, nisi facta fuerit perventio. Perpendant hæc verba verò aurea, quibus serium est studium, hujus etiam Controversiæ momenta ponderare accuratius, & judicent, quæ sunt integritate, annon calculum addant Evangelicorum Sententiæ? Neque hæc tantum, sed alia etiam ibi leguntur eorum tendentia, in primis, quæ porro digna sunt visa, ut Lectori hic etiam ad uberiores Veritatis confirmationem exhibeantur: *Si in hac vita nomine pio dubitante, quanto amplius Deum diligimus, tanto sumus utique iustiores; quis dubitet, piam veramque iustitiam, cum fuerit dilectio DEI perfecta, tunc perfici?* Tunc ergo lex, ita ut nihil omnino desit, impletur, cuius Legis secundum Apostolum plenitudo est Dilectio. Finit prolixissimam tractationem hac clausula: *Post resurrectionem hominis futuram negare plenitudinem iustitiæ, & putare, tantam in corpore illius vitam futuram esse iustitiam, quantum potest esse in corpore Mortis illius, dementia singularis est.* Subjungit ea, quæ Bellarminus quidem nobis opponit, at impertinenter, cum ultro amplectamur ea: *Non autem illic homines incipere, quæ hic noluerint DEI mandata complere, & verissimum; erit enim perfectissima iustitia plenitudo, non tamen hominum Mandata sectantium, & ad eam plenitudinem proficendo nitentium, quoniam illa perfecta iustitia magnitudo est, quæ hic ferunt Mandata, præmium dabitur, non & ipsa mandabitur facienda.* Estque omnino ab Augustini mente secundum hæc tenus adducta alienum, quod Bellarminus verba à Chemnitio ex hoc eodem loco ad impossibilitatem & imperfectionem demonstrandam laudata putat juxta adductam, sed jam ante reprobata distinctionem intelligenda esse, quod homo sit quidem impeccabilis, non autem, quod Præcepta sint impossibilia, quia dictum est, unum præsupponere alterum, & neutrum sine altero locum habere, quamcunque etiam diversitatem imaginetur sibi subtilissimus in Tufculano Bellarminus. Certè non separari ad se invicem posse in hac hominis iustificati vita Gratiam DEI ad servandum præcepta, atque ad ignoscendum peccatis, quæ in laudatis à Chemnitio verbis commendatur, in proximo sequentibus indicavit Augustinus, ita scribens: *Propter quod orando dicimus, &c, Fiat Voluntas Tua; & Dimitte nobis debita nostra.* Quibus non sine plurima observatione indicavit Augustinus, Christum oratoriam Sacram Doctorem illuminatissimum in oratione Dominica Petitioni tertiæ quintam subjunxisse, non conditionaliter tantum, si forte Voluntati Divinæ debita non præstetur Satisfactio, ut tum instituat humilis deprecatio, intermittenda, ubi ad normam Voluntatis Divinæ in lege Decaloga expressam vivatur; sed ita, ut omnis propter Justificationis gratiam agnoscens Deum ex filiali fiducia Patrem, cognito imbecillitatis statu in hac Vita, non solum impleret Divinæ Voluntatis implendæ Gratiam, sed simul etiam ob imperfectionem hujus implendæ Gratiam remissionis, nulli non iustificato singulis diebus necessariam, nisi quis Pharisaicam sibi velit adscribere Justitiam.*

Et quia Bellarminus ad primum relabitur argumentum, ostensurus, Augustinum ad Questionem de possibilitate Legis implendæ semper adfirmando respondere eo præsertim argumento adductum, quod Deus non præcipiat impossibilia, in suscepro Examine pergendum est, atque videndum, num adducta quatuor ex Eo testimonia id velint, Primum quidem ex opere de Natura & Gratia aliquam videtur habere speciem,

ciem, sed videtur saltem; quia si verba rite perpendantur, quæ non in præsentî, sed præterito tempore sunt posita, videlicet, *Deum impossibilia non potuisse præcipere*, satis aperte possunt docere, respexisse Sanctum Doctorem non statum hominis post, sed ante lapsum, quo Præcepta DEI non impossibilia fuisse homini, apud Evangelicos est extra dubium. Et quamvis nunc etiam post lapsum & impetratam DEI gratiam dicat *charitati omnia esse facilia*, ita tamen hoc debet intelligi, ne doctrinæ alibi non semel à se traditæ contrarietur, sed semper idem constanter docuisse inveniat, secundum videlicet eum perfectionis gradum, qui præsentis Vitæ statum ab æternæ Beatitudinis perfectione distinguit, uti ex antecedente testimonio fuit observatum, & ex sequentibus etiam porro fiet manifestum. Secundum ex opere de peccatorum meritis & remissione est quidem de tempore præsentî conceptum, sed non nisi cum obligatione ad præteritum potest intelligi, ut & cum ea perfectione, cujus imperfectionem Augustinus ibidem declarat aperte, scribens contra Pelagianos, ad hoc ipsum, quod DEUS non præcipiat impossibilia, provocantes hunc in modum: *Sed hoc non vident, quod ad non nulla superanda, vel quæ male capiuntur, vel quæ male metuntur, magnis aliquando & totis viribus Voluntatis est opus, quas nos non perfecte in omnibus adhibuituros prævidit, qui per Prophetam veridicè dici voluit, Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Quod porro Bellarminus ex eodem opere adduxit, non agit de possibilitate humana, sed *Divina*, quam Evangelici nullo planè modo vocant in dubium, de qua tamen hic non controvertitur. Tertium videtur exhibere consensum Pelagii & sequacium ejus cum Sententia Augustini quod possibilitatem implendi Legem; sed videtur iterum. Nam si, quæ mens fuerit illius, quæ item hujus, circa hanc Quæstionem, attendatur, manifestus adparebit dissensus, Pelagius possibilitatem absolutam statuit sine Gratia, Augustinus qualemcumque cum Gratia. Ille provocavit ad Legislatorem DEUM impossibilia non præcipientem, quod quidem concessit Augustinus, sed cum aliqua modificatione, quam omisit Bellarminus, ne Veritas Evangelica nimius fieret manifesta, hic omninò adponendam: *Idèò jubet aliqua, quæ non possumus, ut noverimus, quid ab Illo petere debeamus; ipsa enim Fides est, quæ orando impetrat, quod lex imperat.* Conferantur ad hujus loci Sensum, quæ paulò ante de tertia & quinta Petitione Orationis Dominicæ ad Augustini mentem sunt dicta, & non erit super, quod ullum movere possit scrupulum. Quartum denique ex Enarratione Psalmi post quinquagesimum sexti, non ad Legem Decalographicam in universum, sed ad illam pertinet in specie, quæ quis jubetur animam ponere pro amicis, quam idèò putat Augustinus non esse impossibilem, quia Apostoli etiam ad Exemplum Christi id fecerunt, quæ sunt Illius verba, & nobis faciendum prædicaverunt.

Pf. 143.

Ad rationes quod attinet, dum *priori* opera Supererogationis urget, à que eorundem consideratione tanquam à minori, ad ipsam Legis Decalographicæ impletionem quasi ad majus argumentatur, citato ad antecedentis confirmationem Augustino, oleum operamque perdit Bellarminus. Nam quod de Virginibus Deo consecratis in loco per Bellarminum laudato scribit, præter id, quod supra in Quæstione de *Voto Continentiæ* ex Augustini Sententia est observatum, alique de Sanctimonialibus Augustini tempore monuerunt, illud in primis occurrit notatu dignum, quod Sanctus Doctor non suam expresserit mentem, sed ipsarum Virginum, de quibus egit; quas justo amplius & altius sua extulisse ac laudasse Merita, quàm ipsa in se spectata merebantur, atque in oculis Dei fuerunt æstimata, Pater augustissimus non obscure significavit verbis interpositis, quæ Bellarminus iterum singulari studio omisit, hic autem omninò ad meliorem integri Textus Sensum legendis: *Ambierunt majorem cordis sui pulchritudinem*, inquit. Cur scripsit, *ambierunt*, non alio quodam verbo mitiori usus, nisi ut latentem harum Virginum in Continentiâ vel abstinentiâ à Matrimonio aliàs licito & Divinitus in remedium contra illicitas ustiones præscripto Superbiam & Vanitatem perfringeret? De cætero namque Augustinum nulla statuisse opera in hominibus etiam justificatis *supererogatoria*, ex iis præsertim patebit testimoniis, quæ proximè contra falsas Bellarmini glossas vindicabuntur, utporè perfectam Legis impletionem in hoc Seculo impossibilem demonstraturis. Id inter non prætermittendum, quod Augustinus etiam statui Beatitudinis æternæ, in quo perfectam agnoscit charitatem, nihilo tamen minùs deneget, quod plus futurum sit, quàm ipsa lex requirit. Verba sunt digna, quæ ex ultimo capite operis de Spiritu & literâ, Bel-

Vid.
Dorsch.
Ind. Iniqu.
p. 194.

Hhh hh

larmiao

larmino Augustini autoritate hic etiam abutenti opponantur, quæ inter alia huc pertinentia sunt sequentia: *Cum ab hac peregrinatione, in qua per Fidem nunc ambulatur, non per Speciem, per ventum erit ad Speciem, quam nondum visam speramus, & per Patientiam expectamus, procul dubio & ipsa Dilectio, non solum supra quam hic habemus, sed longe supra quam petimus, & supra quam intelligimus erit; nec ideo tamen plus esse poterit, quam ex toto corde, ex tota Anima, ex tota mente. Neque enim restat in nobis aliquid, quod addi possit ad totum; quia si aliquid restabit, illud non erit totum. Proinde hoc erit primum Iustitia præceptum, quo iubemur Deum diligere ex toto corde, ex tota anima, & ex tota Mente, cui est de proximo diligendo alterum consequens, quod in illa complebimus vita, cum videbimus facie ad faciem. Sed ideo nobis hoc etiam nunc præceptum est, ut admoneremur, quid Fide exposcere, quod Spem præmittere & oblitiscendo, quæ retro sunt, in quæ anteriora nos extendere debeamus. Ac per hoc, quantum mihi videtur, in ea, quæ perficienda est, Iustitia multum in hac vita profecit ille, qui, quam longe sit à perfectione Iustitiæ, proficiendo cognovit. Verba sunt satis manifesta, nec indigent glossa, ut Bellarmini Sententiam in iis damnari, Lector Veritatis studiosus cognoscat. Quæ in posteriori Ratione ad tertiam in Oratione Dominica petitionem ex opere contra duas Pelagianorum Epistolas objicit Bellarminus, in proximè antecedentibus sunt discussa, nec opus est tædiofa repetitione.*

Super sunt tantum nunc duo argumenta contra possibilitatem Legis implendæ ab Evangelicis cum pluribus aliis adduci solita, à sinistra Bellarmini interpretatione breviter vindicanda. Prius listit Apostoli de imperfectione status sui querelam, nemini non parumper in Bibliis versato cognitam. Eam ut eludat, ne possibilitati Legis implendæ videatur obesse, tribus Augustini locis se munit Bellarminus, quæ tamen citavit tantum, ipsamet autem verba adducere non ausus est. Quod is turbidæ piscationis causa intermisit, nos in gratiam Veritatis, quæ in publico amat videri, præstabimus, certi, Lectorem hanc quoque operam Mente gratia accepturum. Et primus quidem è Commentario in Johannem, ubi verba Pauli huc pertinentia prolixius exhibuit, hæc habet. *Ex parte libertas, ex parte Servitus. Nondum tota, nondum pura, nondum plena libertas, quia nondum plena æternitas. Habemus enim ex parte infirmitatem, ex parte accepimus libertatem. Quidquid peccatum est à nobis, antea deletum est in Baptismo. Numquid, quia deleta est tota iniquitas, nulla remansit infirmitas? Si non remansisset, sine peccato hic viveremus. Quis autem audeat hoc dicere, nisi superbus, nisi Misericordia liberatoris indignus, nisi, qui seipsum vult decipere, & in quo Veritas non est? Ergo ex eo, quod remansit infirmitatis aliquid, audeo dicere, ex qua parte servimus Deo, sumus liberi; ex qua parte servimus legi peccati, adhuc servi sumus. Secundus ex opere contra Julianum locus prolixè itidem Apostoli verba explicat, Pelagianorum detorsiones, quibus Bellarmini non multum dispares sunt, ex ipso Textu refellens, quin & propriam, quam antehac fovebat, Sententiam ingenue retractans atque statuens, in illis Apostoli vocibus geminum esse sanctorum contra carnales concupiscentias dimicantium; qui cum Mente sint spirituales, adhuc tamen isto corruptibili corpore, quod Animam adgravat, rectè intelliguntur esse carnales, quia erunt & corpore spirituales, quando seminatam fuerit corpus animale, & resurget corpus spirituale. Et rectè adhuc intelliguntur eâ parte captivi sub lege peccati, quæ desideriorum, quibus non consentiunt, motibus subiacet. Tertius ex citato sæpius contra duas Pelagianorum Epistolas opere locus, urget idem ac ejusdem cum priore est argumenti, quod pauca hæc inter alia docent verba: *Hoc est perficere bonum, ut nec concupiscat homo, imperfectum est autem bonum, quando concupiscit, etiamsi Concupiscentia non consentit ad malum.* Argumenta, quæ exinde contra Bellarminum ad impossibilitatem Legis implendæ demonstrandam possent deduci, adducere superfedeo, ea iudicio Lectoris studiosi comittens, ut potè non admodum difficilia, præsertim si ea attendantur, quæ supra in Quæstione de Concupiscentia sub notione peccati ex Augustino sunt prolata, unde vanitas illationis Bellarminianæ constabit satis superque. Restat posterius Evangelicorum pro impossibilitate ex Augustini Retractionibus argumentum & testimonium, ita perspicuum, ut, quidquid Bellarminus contra illud ausus fuit, nihil aliud impetraverit, quam ut Evangelicorum Sententiam magis confirmaret; quæcunque enim responsi loco adduxit, nobis minimè contrarianatur, sed quam maximè inserviunt, uti Lector iudicare peritus ex facili observabit. Adde, plura in eodem loco Retractionum occurrere, quæ in rem faciunt præsentem egregie,*

giè, ubi ea præsertim explicat Sanctus Doctor, quæ antehac in Explanatione Sermonis Domini in Monte scripsit, *Præcepta in hac vita compleri possunt, sicut completa esse in Apostolis credimus*, sequentem proponens interpretationem: *Sic accipiendum est, non, ut in Apostolis hic viventibus nullum Carnis motum arbitremur Spiritui repugnasse, sed hæcenus hic ista posse compleri, quatenus in Apostolis credimus esse completa, ea scilicet perfectionis humana mensurâ, quanta in hac vita potest esse perfectio. Non enim dictum est, ista in hac vita compleri possunt, nam completa esse in Apostolis credimus, sed ita dictum est, sicut completa esse in Apostolis credimus, ut ita compleantur, sicut in illis completa sunt, id est, perfectione quadam, cujus ista vitæ capax est &c.* Quæ postrema etiam conducunt ad ea melius intelligenda, quæ in superioribus possibili-
tatem Legis implendæ videri poterant apertius statueret.

NB.

CAPUT DECIMUM SEXTUM & seqq.

DE

Operum Justitia & bonitate.

Non multum differre hanc Quæstionem ab antecedente, sed potius unam dependere ab altera, nemo non videt. Si enim homo potest Legem operibus implere, per se constat, illa Legis opera oportere bona esse & Justitia gaudere. Quia verò placuit Bellarmino, entia præter necessitatem hic etiam multiplicare, nostrum non est, mutare ordinem, sed potius eundem porro observare. Quem verò ad modum hic quoque in confirmanda thesi ex Sacris literis nulla adhibuit Subsidia ex Augustino, ita ubi ex Patribus eam adstruere laboravit Bellarminus, Augustinum non prætermisit, *ita ex diversis Ejus Scriptis testimonia proferens in medium, suas iisdem pro more adponens glossas, quibus an illustraverit, an potius obscuraverit magis augustissimi Doctoris in hac Controversia mentem, ex sequenti patebit Examine.* Primum est excitato ante ultimo capite operis de Spiritu & litera, ubi sequentia leguntur: *Dici potest quedam Iustitia minor, huic vita competens, qua iustus ex Fide vivit, quamvis à Domino peregrinus, & ideo per Fidem ambulans, nondum per Speciem. Non absurde dicitur etiam pertinere ad istam, ne peccet. Neque enim, si nondum potest esse tanta Dei delectio, quanta illi cognitioni plena perfectæque debetur, jam culpæ deputandum est. Aliud enim est, totam nondum adsequi Charitatem, aliud, nullam sequi cupiditatem. Quam ob rem debet homo, quamvis longe minus amet Deum quam Eum potest amare conspectum, nihil tamen adpetere illicitum, sicut etiam in his, quæ sensibus corporis adjacent, potest oculus nullis delectari tenebris, quamvis non possit in fulgentissimi maluce desigi.* Bellarminus ita glossatur, Hoc loco fatetur quidem Augustinus, Justitiam nostram in hac vita minorem esse, quam futura sit in alia vita, disertis tamen adfirmat verbis, ad hanc etiam pertinere Justitiam, *ut non peccet.* & posse ac
debere hominem nullam sequi cupiditatem. *Secundum est ex opere de Bono conjugali: Concupiscentia conjugalis generandi gratia non habet culpam, concupiscentia verò satanda, sed tamen cum Coniuge propter fidem thori, venialem habet culpam: adulterium verò sive fornicatio lethalem habet culpam. Et iterum, Continentia meriti est amplioris, reddere debitum conjugis, nullius est criminis; exigere ultra generandi necessitatem, culpa venialis; fornicari vel mæchari, criminis puniendi.* Bellarmini glossa hæc est, In his quatuor gradibus operum, quos distinguit Augustinus, adsignare debent adversarii discrimen aliquod, vel potius necessario confiteri, in primo & secundo nullum omnino peccatum esse, neque mortale ex sua natura, neque veniale per Misericordiam Dei. Nam si Continentia ab omni concubitu peccatum est mortale ex sua natura, & veniale per Misericordiam Dei, quid erit concubitus gignendi causa, nisi peccatum mortale ex omni parte? Et si concubitus gignendi causa peccatum est mortale ex omni parte, quid erit concubitus libidinis satandæ causa, nisi peccatum in Spiritum Sanctum, quod non remittitur, neque in hoc Seculo, neque in futuro? At, ita Bellarminus pergit, Augustinus hinc tertio gradui culpam, tribuit venialem secundo gradui nullam, primo gradui meritum ingens. Tantum interest inter Sententiam
Augustini & Novatorum, scribit Bellarminus, *Tertium ex opere contra Julianum citasse contentus fuit Bellarminus, addens, Eum in locis pluribus aliis contendere,*
Hhh hh 2 opera

cap. 6.

cap. 7.

Lib. 4. § 3.

opera infidelium esse peccata, non quod non sint vel esse possint bona ex suo genere, sed quoniam desit illis intentio bona dirigendi opera illa ad verum DEUM, quem ignorant, cum Fidem non habeant. Igitur, quam Bellarminus nescit inde con- sequentiam, opera fidelium ex Augustini Sententia poterunt esse simpliciter & absolute bona. Nam si fidelium omnia quoque opera essent peccata & morte quidem digna, quorsum tantopere laborasset Augustinus, ut probaret, *opera infidelium esse peccata*.

Post hæc testimonia inter rationes, quibus bona Justorum opera non esse peccata, sed vere bona probatur, *prima* hæc est: Si omnia Justorum opera bona essent vitiosa atque corrupta, ita ut peccata mortalia ex sua natura dici deberent, id sine dubio vel ex innata Concupiscentia, vel ex defectu dilectionis DEI, vel ex admixtione peccatorum venialium nasceretur; illas enim causas adversarii solent reddere, cur opera ex suo genere bona, vel à DEO mandata, & bona intentione facta, peccata tamen mortalia esse contendunt. Ad nihil horum trium contaminare potest opera Justorum bona. Nam ipsa inprimis Concupiscentia non est peccatum, sed infirmitas, nisi consentiatur ei. Unde Augustinus in libro de Perfectione Justitiae & alibi sæpè repetit, *non oportere pro motibus Concupiscentie involuntariis ducere*, Dimittent nobis debita nostra. *Deinde* etiamsi peccatum esset, non semper tamen movetur, ut idem testatur Augustinus in opere contra Julianum; ac per hoc bona fieri possunt opera aliquando ex charitate, sine ulla cupiditatis admixtione. Charitatis autem defectus, quod videlicet nostra non faciamus opera tanto Dilectionis serore, quanto faciemus in Patria, defectus quidem est & culpa, sed peccatum non est, ut Augustinus docet in citato supra ultimo capite operis *de Spiritu & littera*. Unde etiam Charitas nostra, quamvis comparata ad Charitatem beatorum sit imperfecta, absolute tamen perfecta dici potest, ut eam post Apostolum Johannem adpellat Augustinus in opere *de Doctrina Christiana*, & de peccatorum meritis & remissione, & alibi. Admixtio denique peccatorum venialium veram non impedit Justitiam, tum quia non est necesse, ut in singulis operibus admisceatur peccatum veniale, ut ex Patribus est probatum, & ipsa docet Experientia; tum etiam quia peccatum veniale non est contrarium Charitati, nec propriè contra Legem, sed præter legem, ut supra diximus. Itaque quamvis Divina dicat Scriptura, *In multis offendimus omnes, & si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus*, tamen absolute vocat homines quosdam Justos, sanctos, immaculatos, perfectos, quod nullo faceret modo, si peccatum veniale impediret Justitiam. Post aliqua utriusque Testamenti dicta ad hujus rei confirmationem laudata addit, Similia habet Augustinus in opere *de peccatorum meritis & remissione*, uti etiam contra duas Pelagianorum Epistolas ad Bonifacium.

His ita expositis progreditur Bellarminus, & insuper id etiam demonstrare fatagit, *opera bona non solum esse vere justa, sed etiam justificare*, producto inprimis loco ex Epistola Jacobi vexatissimo, in genere observans, Scopum Jacobi fuisse, demonstrare, non quæ sit vera Fides, sed Fidem veram atque Catholicam ad Salutem sine operibus non sufficere, & fidelem, qui benè operatur, in Justitia crescere, qui male operatur, Justitiam amittere, & fidem in eo mortuam otiosamque manere, laudato inprimis teste Augustino, qui in libro *de Fide & operibus* disertis adfirmat verbis, Scopum Epistolæ Jacobi, ut etiam Petri, Johannis & Judæ, dirigi adversus hæresin eorum tunc recens exortam, qui dicebant, Fidem sine operibus ad salutem sufficere. Verba Augustini hæc sunt, prouti citat Bellarminus: *Quoniam hac opinio tunc fuerat exorta, alia Apostolica Epistola Petri, Johannis, Jacobi, Iudæ contra eam maxime dirigunt intentionem, ut vehementer adstruant, Fidem sine operibus nihil prodesse*. Postmodum Pauli Sententiam eum Jacobi quoad Fidei sine & cum operibus necessitatem ad Justificationem conciliare studens Bellarminus scribit & statuit, Paulum loqui de primâ Justificatione, qua homo fit justus ex impio, Jacobum de secunda, qua justus justior efficitur; & ideo rectè Paulum dicere, justificari hominem sine operibus, Jacobum verò, justificari ex operibus. Quemadmodum enim, inquit, nemo potest opere suo se ipsum procreare aut à Morte revocare, procreatus autem vel à morte revocatus ipse se comedendo & bibendo nutrit & auget; sic

sic etiam homo per peccatum mortuus non potest operum suorum merito se justificare, sed posteaquam iustus, à DEO factus est, potest rectè vivendo Justitiam in se alere & augere, ac ita operibus justificari. Ita dicit hæc conciliare loca Synodum Tridentinam, & multò antea *Augustinum*, citata præter locum modò indicatum, Præfatione in Psalmum trigésimum & primum, quia & aliis duobus Scriptis. Et quia de verbis Pauli majorem esse difficultatem putat, non deesse monet, qui existiment, Abrahamum tunc primum à peccatis fuisse justificatum, cum credidit Deo filium promittenti, & cum de Eo dictum est, *Credidit Abraham DEO, & reputatum est ei ad Iustitiam*. Addit, ita docere Anselmum, & eandem Sententiam indicare videri Augustinum in Præfatione laudata, exponentem hunc locum & scribentem: *Ergo ex Fide justificatus est Abraham, & si opera non præcesserunt, tamen secuta sunt*. Subjungit porro Bellarminus, Siquidem hæc opinio esset vera, nulla esset in Paulo difficultas. Cæterum dicere non audeam, Abrahamum non fuisse multò ante justificatum, quam de eo dictum sit, *Credidit Abraham Deo &c.* ideo etiam, quia idem confirmant Patres, & inter eos Augustinus in opere de *Civitate Dei*.

Nunc porrò suppeditat responsiones ad ea Scripturæ & Patrum testimonia, quibus utuntur Evangelici contra Bonorum operum perfectionem & omnimodam bonitatem. E Scripturæ Dictis secundum est, quod è Psalmo post centésimum & quadragesimum secundo vel secundum Ebræos tertio solet adduci, ubi Psaltes regius in actu Pœnitentiæ constitutus DEUM ita legitur adlocutus humiliter, *Non intres in iudicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*. Bellarminus in responsione dicit, triplicem hujus loci explicationem à Patribus indicari, primam esse Augustini in Commentario hujus loci, ubi dicit, hominem justificari non posse coram DEO, quoniam ex se nullam habeat Justitiam, sed si quam habeat, ex DEO habeat, Augustini verba sunt hæc: *Qui cum illo volunt intrare in iudicium, nisi qui ignorantes DEI Iustitiam, suam volunt constituere?* Sententia igitur Davidis hæc est, juxta Bellarminum & secundum primam hanc Explicationem, *Noli intres in iudicium cum servo tuo*, id est, Noli me judicare ex his, quæ ex me habeo; sic enim *non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*. Et ideo dixerat paulò ante, *In Veritate tua exaudi me in tua Iustitia*, id est, in Justitia, quam ut haberem, Tu dedisti. Secundam Expositionem esse dicit ejusdem Augustini in libro de Perfectione Justitiæ, ut & *Hieronimi & Gregorii*, referentium hunc locum ad peccata venialia, sine quibus in hac vita esse non possumus. Non autem sequitur, ita Bellarminus infert, ut omnia nostra opera sint peccata, etiamsi absque peccato vivere non possumus. Miscentur enim operibus bonis opera quædam mala, quæ tamen si levia & quotidiana sint, in Iudicio DEI tamen non injustè puniuntur. Igitur Sententia Psalmi modo hoc secundo accepti hæc erit, *Non intres in iudicium cum servo tuo*, id est, non cupio tecum contendere, confiteor me peccatorem, & oro veniam; nam ego non solus, sed etiam omnis homo peccat aliquando, nec est ullus ita iustus, quin non aliquando labatur & erret. Tertiam Expositionem dicit esse aliorum quorundam Patrum, qui dicant, Sententiam Davidis esse, non posse hominem justificari, si comparatur ad DEUM, non, quod non sit in homine iusto vera Justitia, si consideretur absolute, sed quia tanta sit puritas & sublimitas Justitiæ DEI, ut omnis hominum & Angelorum Justitia cum eadem comparata videatur esse Injustitia, sicut Stellæ etiam clarissimæ sunt in se, coram sole tamen continuo tenebescunt. Atque hoc esse, scribit Bellarminus, quod in libro Jobi legatur, *Numquid homo comparatione DEI justificabitur?* Et iterum, *Verè scio, quod ita sit, & quod non justificabitur homo compositus DEO*. Quem locum tractantem Augustinum in libro ad orosium contra Priscillianistas & origenistas scribere: *In comparatione Iustitiæ DEI, si nec Sancti in Cælis Angeli dicantur esse iusti, non mihi videtur importuna esse Sententia; non quia ut hoc essent, à Iustitiâ sunt lapsi, sed quia facti sunt, & DEVS non sunt, tantumque spiritualis Luminis habere non possunt, quantum habet ille, à quo facti sunt. Ibi enim summa est Iustitia, ubi summa est Sapientia; & hoc DEVS est, de quo dictum est, soli DEO Sapienti: Et infra, Cujus participatione iusti sunt, ejus comparatione nec iusti sunt*. Quartum è Scripturæ Dictis est, quod apud Isajam extat, *Facti sumus omnes ut immundi, & quasi pannus menstruatus uni verse Iustitiæ nostræ*. Ubi quia Prophetæ loquitur ita generatim, ut omnes comprehendat homines, Bellarminus inter alia hoc etiam urget loco responsi, quos scripturæ mos sit, ut loquatur de multis, quasi

c. 12. quasi de omnibus, atque Augustinum in libro de *Veritate Ecclesie* hunc morem scripturæ diligenter observare. *Quintum* est ex oratione Dominica, in qua oramus quotidie, *Sanctificetur nomen tuum, fiat voluntas tua, & Dimittite nobis debita nostra*. Unde colligitur, nos omnes in omni opere nostro peccare, quoniam non petimus, quod habemus. Igitur semper in nobis polluitur nomen Domini, semperque sumus rebelles in omni opere Voluntati Divinae, semper denique egenus, ut nobis peccata misericorditer remittantur. Bellarminus tripliciter respondet. *Primo*, non solum posse peti, quod non habemus, sed etiam conservationem & incrementum ejus, quod habemus; sic enim post Cyprianum explicare Augustinum in opere de Bono Perseverantiae. *Deinde* illud, *Fiat voluntas tua*, dictos monere Patres, sic etiam intelligi posse, ut petamus infidelium conversionem, ut videlicet illi quoque, qui nomine terræ intelliguntur, Dei faciant voluntatem, sicut eam plerique faciunt fideles, qui nomine Cæli significantur. Illud *denique*, *Dimittite nobis debita nostra*, dicere nos non pro omni opere nostro, sed pro peccatis venialibus, quæ bonis operibus admiscuntur, Augustino iterum citato in testimonium ex libro de Perfectione Justitiæ scribente, non opus esse dicere, *Dimittite nobis debita nostra*, pro concupiscentiâ, quæ in nobis est, nisi motibus ejus voluntate consentiamus.

Tandem ad ea ex Augustino loca accedit, quæ contra operum omnimodam perfectionem solent adduci, quæ tria dicit esse Bellarminus præter ea, quæ in disputatione de Meritis Operum occurrunt libro sequenti. *Primus* ex opere Epistolarum, qui ita habet: *Plenissima Charitas quæ jam non possit auferri, quamdiu hic vivit homo, est in nemine. Quamdiu autem potest auferri, profecto illud, quod minus est, quam debet, ex vitio est, ex quo vitio non est justus in terra, qui faciat bonum, & non peccet*. Huic alium similem esse dicit locum ex laudato proxime libro de Perfectione Justitiæ, ubi sic legitur: *Peccatum est, cum vel non est Charitas, quæ esse debet, vel minor est, quam debet*. Bellarminus respondet, Augustinum adpellare vitium & largo modo peccatum imperfectionem & defectum illum, qui in nobis est ratione concupiscentiæ, cujus vitii causâ nemo est, qui non aliquando peccet. Non esse autem imperfectionem illam peccatum propriè dictum, perspicuum esse tum ex ipso libro de *Perfectione Justitiæ*, ubi dicit Augustinus, non esse opus, pro concupiscentiâ carnis, contra quam spiritus concupiscit, dicere, *Dimittite nobis debita nostra*, tum ex opere de spiritu & litera, ubi disertis dicit verbis, non esse deputandum ad culpam, quod Charitas in hac vita non tanta sit, quanta erit in Patria. *Secundus* est ex Confessionum, *Væ etiam laudabili vitæ hominum, si remota eam discutias Misericordia*. Bellarminus respondet, Augustinum non dicere, laudabilia opera esse peccata, si remota discutiantur Misericordia. Imò in eodem loco eum separare opera bona Matris suæ, pro quibus Deo gratias agat, à peccatis, pro quibus à Deo veniam petat. Solum igitur dicere, vitam hominis laudabilem propter opera bona egerè Misericordia in Judicio Dei propter peccata saltem venialia, à quibus nemolibet inveniatur. *Tertius* ex opere contra duas Pelagianorum Epistolas: *Ex quo factum est, Virtutem, quæ est nunc in homine justo, hæc lenius nominari perfectam, ut ad ejus perfectionem pertineat etiam ipsius imperfectionis & in veritate cognitio, & in humilitate confessio*. Bellarminus respondet, Augustinum nihil aliud dicere, nisi Justitiam in hac vita imperfectam esse, si comparetur ad Justitiam vitæ beatæ, & hujus imperfectionis cognitionem & confessionem hoc tempore non parum esse necessariam, ne quis existimet, se esse, quod verè non est, ac ita se ipsum seducat. Nusquam autem in toto hoc libro Augustinum imperfectionem istam dicere peccatum esse, sed contra potius veram Justitiam & suo modo perfectam esse eum confirmare, sic in fine capituli scribentem: *Justitiam secundum quam justus vivit ex Fide, quoniam per Spiritum Gratia homini ex Deo est, vera est Justitia; quæ licet non immeritò in aliquibus justis pro vitæ hujus capacitate, dicitur perfecta, parva tamen est ad illam magnam, quam capit equalitas Angelorum. Quam qui nondum habebat, & propter illam, quæ inerat, perfectum, & propter istam, quæ adhuc deerat, imperfectum se esse dicebat. Sed plane minor ita Justitia facit Meritum, major illa sit premium; unde qui istam non sequitur, illam non adsequitur*. Bellarminus ad hæc subjungit, ex quibus evidenter adparet, Adversarios abuti Patrum autoritate ad imperitos simplicesque fallendos. Tam.

Tandem post sex diversa Gregorij M. testimonia, quæ itidem respondere laboravit Bellarminus, hæc Augustini verba ex libro de Correctione & Gratia quasi loco superponendi addidit: *Misericordia iusto Dei iudicio dabitur iustis, quoniam bonis operibus suis meruerunt, ut non sine Misericordia iudicarentur. Nam beati misericordes, quoniam ipsi Misericordiam consequuntur, ait Dominus. Et, iudicium sine Misericordia ei, qui non fecerit Misericordiam, inquit Jacobus.*

Hæc hæctenus à Bell. ad perfectionem iustitiam, ad bonitatem operum in Justificatis demonstrandam ex August. producta, ut sine omni ambage Examine subijciantur, de primo statim testimonio, quod in fine operis de *Spiritu & Litera* legitur, venit notandum, illud non probare, cuius gratia satis prolixè fuit adscriptum. Quamvis enim dicat Sanctus Doctor, *culpe non deputandum esse, si dilectio non sit perfecta*, nihil aliud dicit, quod præeunte Apostolo non Evangelici quoque dicant, loquentes nimirum de Justificatis per Fidem, vel secundum phrasin Paulinam de iis, *qui sunt in Christo Iesu*, ambulantes etiam ex obligatione Adoptionis non ad ductum carnis & delicias concupiscentiarum, sed inhabitantis boni & sancti Spiritus, Et cum dicit, ad statum Fidei etiam pertinere, *ne peccet*, debitum hominis iustificati exprimit, non verò id, quod præstare potest. Hinc expresse scribit, *debere eum nihil adpetere illiciti*, id est, omnibus contendere viribus, ut nullam sequatur cupiditatem; quamvis dicat, *ad illam immortalem vitam pertinere*. diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. Secundum ex opere de bono conjugali ritè intellectum sententiæ Evangelicorum opponi non potest. Ut enim de vocabulo *Meriti* nunc non dicam, de cuius sensu ad Augustini & aliorum Ecclesiæ Doctorum mentem supra in Quæstione de *Fidei solitudine* est actum, & in sequenti Controversia iterato erit agendum; quæ de concubitu conjugali habet Augustinus, in antecedentibus ibidem satis clarè explicavit, scribens: *Quicquid inter se conjugati immodestum, in verendum, sordidum vengerunt, vitium est hominum, non culpa Nuptiarum.* Id si Bellarminus attendisset, ex evangelicorum scriptis insuper sibi in memoriam revocasset, eandem esse eorum in hac causa sententiam, quæ Augustini non opus habuisset, tot absurdas eis imputare consequentias, quæ nemini sano unquam venire poterunt in mentem. Quis enim dixit, aut quo consequentiarum nexu ex Evangelicorum hypothese poterit deduci, *Continentiam*, posito nimirum, esse eam ab omni unctionum lascivatum flamma ex una, ex altera autem parte à Meriti singulari opinione liberam, *esse peccatum mortale*. Ubi præterea in scriptis Evangelicorum legitur, *Concubitus gignendi causa*, in se videlicet atque abstracto consideratum, sine intervenientibus post lapsum turpitudinibus, (de quibus tamen Augustinus ibidem bene notavit, quod non propter Nuptias admittantur, sed propter Nuptias ignoscantur) *esse peccatum mortale ex omni parte*. Figmenta hæc sunt cerebri Bellarminiani malè adfecti, quibus Evangelicorum sententiam, cum Augustiniana convenientem ex asse, voluit Lectori incauto prostitutam, ut habeat, quibuscum in tenebris dimicet. Tertium ex opere contra Julianum & alios operibus, tibi *opera infidelium esse peccata* docet, non bene explicatur, nec consequentia est legitima, quæ exinde necitur, quasi ex Augustini mente opera fidelium simpliciter & absolute bona sint, vel, uti Bellarminus scribit, *esse possint*. Nam alia planè ratio est fidelium, alia infidelium. Horum namque opera, ut ut videantur coram oculis hominum speciosa, ex omni genere causarum contrahunt aliquid vitii, ita, ut nulla plane sit ratio, cur Deo possint accepta. Illorum verò opera, quamvis non sint ex omni parte perfecta, remanentibus videlicet in illis, etiam post justificationis gratiam quibusdam ab Adamica hæreditate indecentium concupiscentiarum reliquiis, non tamen omninò ingrata sunt Deo, quia exhibentur à persona per Fidem reconciliata, ex instinctu inhabitantis boni Spiritus facta ad normam Legis præscriptæ, directa ad nominis Divini gloriam, ut ut ob imperfectionem nullius apud Deum meriti, quod in sequentibus docebitur.

Circa rationem *Primum*, qua fidelium opera ab omni imperfectione laborat liberare Bellarminus iteratò debet observari, quod in ejus etiam deductione alienam Evangelicis adscripserit mentem, quasi ipsa fidelium opera, quæ ob certos respectus dicuntur bona, statuunt mortalia esse peccata, quæ nequissima per-versio est, sententiæ eorum; qui tamen nihil aliud dicunt, quam, omni bono operi, quod homo etiam iustificatus ex adoptionis debito ad fidem demonstrandam facit, in hoc imperfectionis statu aliquid labis adherere, cuius causa non habeat,

quod gloriatur, sed potius coram tribunali Iudicis iustissimi se humiliet, ac peccatorum remissionem roget. Et quia fidelium opera, quæ vocantur bona, ex Evangelicorum mente vitari dicit vel ex innata concupiscentia, vel ex defectu dilectionis Dei, vel ex admixtione peccatorum venialium, qualia nimirum dicuntur non in se, sed in oculis gratiæ Dei considerata, ad singula habet Bellarminus, quod excipiat ex Augustino, ne vitium in bonis fidelium operibus adpareat. De Concupiscentia inquit, Augustinum in libro de *Perfectione Iustitiæ* & alibi sæpius repetere, non oportere hominem pro moribus Concupiscentiæ involuntariis dicere *Dimittite nobis debita nostra*. Verum si laudatum opus Augustini evolvanus, contrarium plane in eo legitur. Non licet omnia colligere ex eo loca, quæ veram huius in Oratione Dominica petitionis sensum exhibent, ne prolixitas nimia pariat fastidium. Sufficiat unus, qui possit esse instar omnium, sequentia suppeditans: *Iam olim contra superbos est clamatum*, Beatus, cui non imputavit Dominus peccatum, non enim imputat his, qui fideliter ei dicunt, *Dimittite nobis debita nostra*. Peccatum est autem, cum vel non est charitas, qua debet esse, vel minor est, quam debet; si hoc voluntate vitari possit, si non possit, quia si potest, præsens voluntas hoc facit, si autem non potest, præterita voluntas hoc fecit, & tamen potest vitari, non quando voluntas superba laudatur, sed quando humilis adjuvatur. Nota bene, Lector, Augustini verba, si non possit, nimirum vitare per Voluntatem, scilicet Concupiscentiam, quam dicit esse peccatum, etiam si vitari non possit omnino, quod contra Bellarminum hic observasse satis est. Quod ex opere contra Iulianum porro objicit Bellarminus, *Concupiscentiam in homine non semper moveri, nihil facit ad rem; sufficit semper inesse* quod Augustinus ibi monuit, scribens: *Actu manet, non quidem abstrahendo & illicitendo mentem, ejusque consensu concipiendo & pariendo peccata, sed mala, quibus mens resistit, desideria commovendo; ipse quippe motus actus est ejus, quamvis mente non consentiente desit effectus. Inest enim homini malum & præter istum actum, id est, præter hunc motum, unde surgit hic motus, quem dicimus desiderium*. De charitatis defectu, quod ex Augustini opere de *Spiritu & Litera* habet, eum non esse peccatum, jam dictum est, quo sensu id ex Sancti Doctoris mente veniat intelligendum. Est autem intolerabile additamentum, quo Patrem augustissimum dicit in opere de *Doctrina Christiana* charitatem fidelium in hac vita vocare *perfectam absolute*, cum tamen restrictio, quam supra jam observavimus, hic etiam legatur expressissimè verbis, quæ Bellarminum in ruborem dare potuissent, nisi dudum depudisset: *Perfectum*, inquit, *quantum in hac vita potest; nam in comparatione futura nullius iusti & sancti vita est perfecta*. Estne autem hoc dicere *perfectum absolute*? Judicet Lector æquus. In loco ex opere de *Peccatorum Meritis & Remissione*, uti Bellarminus citavit, nihil reperitur ad præsentem controversiam pertinens, ut adeo in numeris error videatur commissus. De admixtione verò peccatorum, ut vocat venialium quæ insuper addit, nominatum, non esse necessum, ut singulis operibus bonis admisceatur peccatum veniale, contra Evangelicos non est, ex quorum mente jam est indicatum, sufficere, quod ipsum opus bonum respectu huius vel illius circumstantiæ non sit ab omni parte perfectum, sed aliquo defectu laboret; sicuti suo loco rejecta est distinctio non admodum subtilis Bellarmini, per quam peccata, quæ dicit venialia, non contra, sed propter legem esse statuit. Et quem ad modum aperte vim facit scripturæ Bellarminus, scribens, Eam homines quosdam *absolute* iustos, sanctos, perfectos, immaculatos vocare, ista eadem ratione aliam & alienam planè Augustino adscribit sententiam, quando eum similia docere adfirmat. Locus certe ex opere de *Peccatorum Meritis & Remissione*, qui forte idem est, ad quem paulò ante respexit, uti & proxime citatus, hanc *absolute* perfectionem ignorat, ubi de Ijobo ab ipso met. Deo singulariter commentato hæc inter alia leguntur: *Verus Dei cultor erat, quippe suorum etiam peccatorum verax, humilisque confessor, abstinens se ab omni opere malo, mirum, si ab omni etiam verbo & cogitatu malo*. An hæc pertineant ad descriptionem perfectionis *absolute* viderint ij quibus Bellarmini hypotheses placet defendere? Ita capite sequenti in genere scripsit: *Sunt in terra iusti, sunt magni, fortes, prudentes, continent, patientes, ipsi, misericordes, omnia mala temporalia propter iustitiam æquo tolerant animo. Seu si verum est, imò, quia & etiam est, si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosmet ipsos decipimus; non*

Refp. 15.

l. 1. c. 39.

l. 2. c. 12.

non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens, non sunt sine peccato, nec quisquam eorum tam arroganter insanit, ut non sibi pro suis qualibuscunque peccatis oratione Dominicâ opus esse arbitretur. In proximè sequentibus ex Apostoli sententia indicat discrimen inter Christum & Sacerdotes in Testamento Veteri, quorum numero accenset Zachariam Johannis Baptistæ Patrem, egregio Probitatis Elogio celebratum, Christum nominans solum Principem Sacerdotum, qui non haberet necessitatem sicut illi, qui sacerdotum, principes dicebantur, sacrificium pro suis primum obferre peccatis quotidie &c. Post plura hanc in rem dicta, Paulo etiam vocato in testimonium, subjungit: *Tantum ergo longe est, ut propter illa, quibus laudantur, verba Zachariam & Elisabetham sine ullo credamus peccato perfectè à habuisse justitiam, ut nec ipsummet Apostolum ad ejusdem regule summitatem arbitremur fuisse perfectum &c.* Si non perfectam habuerunt justitiam, multò minus absolutè perfectam, quidquid ex suo ingenio fingat Bellarminus, perfectionis absolutæ comendator superciliosus. In opere *contra duas Pelagianorum epistolas*, ad quod itidem Bellarminus provocat, iterum nulla fit mentio perfectionis absolutæ. Hæc Lib. 3. c. 2. quidem leguntur ibi, *Iustitia Legis in eis impletur, qui non secundum carnem ambulant, id est, secundum hominem Dei iustitiam ignorantem & suam constituere volentem, sed secundum Spiritum.* Verùm semper ex supra citatis repetendum venit, Augustinum talem intellexisse impletionem & perfectionem, qualis in hanc vitam cadit, quam nulli dixit absolutam Augustinus, nec etiam dicere potuit, nisi propriis hypothecibus contradicens.

Nunc ubi plus ultra progreditur Bellarminus, demonstrare laborans, opera bona non solum esse verè justa, sed etiam justificare, laudata Augustini ad testimonium Jacobi communiter adduci solitum ex libro de Fide & Operibus authoritate, prolixiori non opus est responso, quod ex Hülsemanni Harmonia Paulino Jacobæa sufficiens datum est non dudum ante, cum de Bonorum operum necessitate fuit actum, utpotè ad cuius confirmationem Bellarminus eodem usus est argumento, unde repetendum erit. Ad dimus saltim, ut porrò contra Bellarminum ostendatur, scopum Jacobi fuisse, Fidei veritatem docere, non ei aliud medium ad Justificationem & Salutem adjungere, quæ idem S. Doct. in eodem opere de Fidei justo & salvificæ qualitate notanter monuit: *Non Fides Dæmonum, inquit; cum & ipsi credant & contremiscant, & Filium Dei confiteantur Iesum, accipi potest in fundamentum. Quare? Nisi quia non est fides, quæ operatur per dilectionem, sed exprimitur per timorem. Fides itaque Christi, Fides Gratiæ Christiana, id est, ea Fides, quæ per dilectionem operatur, posita in fundamento, perire neminem permittit.* Neque aliter Jacobi mentem Paulo consentaneam expressit in laudata ad Palmum trigésimum & primum præfatione, ubi inculcatam à Bellarmino distinctionem inter Justificationem primam & secundam, eo videlicet sensu, qui communiter apud Doctores Papæos obtinet, etiam si quis lucerna Diogenis utatur, invenire non licet, quasi videlicet de illa Paulus egerit, quod Bellarminus vult, de hac autem Jacobus; Augustino in eâ constanter manente sententia, utrumque Apostolum de una eademque per Fidem justificatione, quam vis diverso erga Deum & hominem respectu egisse, illo nimirum describente Justificationem, quatenus homo coram Deo per Fidem ex injusto fit justus, hoc autem requirente, ut homo, qui se gloriatur fidelem & justificatum, coram hominibus etiam ostendat Fidem, per quam sit justificatus, videlicet non mortuam, hypocriticam & dæmoniacæ similem, sed veram, vivam & per opera charitatis coram hominibus quoque adprobatam. Equidem, non nescius sum, esse scriptorem quendam Calvinianum, qui scripto peculiari hanc rationem Augustinianam conciliandi Paulum & Jacobum ante hoc Decennium improbavit & utilioribus voluit persuasum, aliam faciliorem & magis expeditam prodidit, Paulum perfectè justum, Jacobum certo quodam modo justum hominem descripsisse statuens. Sed præsentis instituti scopus non patitur prolixè in hujus novæ conciliationis fundamenta inquirere, quod alia forsitan occasione cum Deo poterit commodius expediti; sufficiat nunc ostendisse, malè Bellarminum in duplicis justificationis propugnatione ad Aug. authoritatem provocare, cui in mentè distinctio hæc sensu videlicet Papæo, quod semper notandū est, venit nunquā. In laudato certè loco nihil loquitur, quod eò trahi possit comòdè, imò potius ea scripsit ibi S. Doct., quæ ad Evangelicorum pertinent sententiam quam maximè. Objecit nimirum sibi met ipsi quorundam male sanorum verba, *Quia ex Fide, non ex operibus Abraham justificatus est, faciam ergo, quidquid*

cap. 16.

quicquid volo, quia etsi bona non habuero opera, sed tantum credidero in Deum, deputabitur mihi ad iustitiam. Respondeo, inquit Doctor augustissimus, tanquam contra Apostolum, & dico de ipso Abraham, quod invenimus etiam in Epistola aliterius Apostoli, qui volebat homines corrigere, qui male istum intellexerant Apostolum. Iacobus enim in Epistola contra eos, qui volebant bene operari, de sola fide presumentes, ipsius Abraham opera commendavit, cuius Fidem Paulus. Et Apostoli non sibi sunt adversi. Dicit autem opus notum omnibus, Abraham filium Deo obtulit immolandum. Magnum opus, sed ex Fide. Laudo super edificationem operis, sed video fundamentum Fidei. Laudo fructum operis boni, sed agnosco radicem in Fide. Si enim hoc præter Fidem rectam faceret Abraham, nihil illi prodesset, qualecunque opus illud esset. Rursus, si sic fidem teneret Abraham, ut, cum Deus ei imperaret immolandum sibi filium obferre, diceret apud semetipsum, non facio, & tamen credo, quia me etiam iussa contemnentem liberat Deus, fides sine operibus esset mortua, & tanquam radix sine fructu sterilis ac arida remaneret. Hæc tibi de consensu Pauli & Iacobi habet Augustinus. Quæro autem te, Lector optime, an Bellarmino potuerit in mentem venire, sanctum Doctorem hæc verbis discrimen à se jactatum inter justificationem primam & secundam, prout nimirum Papæ Doctores intelligunt & aliis inculcant, indigitasse, atque hanc rationem conciliandi Apostolos suppeditasse. Id certe si Bellarminus credidisset, nullum est dubium, quin ipsa adscripsisset verba. Dum verò ea vidit minus huc in servientia, contentus fuit locum citasse, de plerisque Lectoribus persuadens sibi, eos vix operam impensuros, ut evolvent Augustinum, quæ fraude non pia cum Lectores sæpius seduxisse, hæc tamen non semel est observatum. Idem dicitur potest atque debet de cæteris citationibus, quibus operam Lectoris studiosi fatigavit Bellarminus, sed & simul impudentiam novo exhibuit documento. Nam in laudato opere de octo Questionibus Dulcitij, & quidem in responso ad primam Questionem, iteratò provocavit ad librum de Fide & Operibus, ex quo jam ostensum est, Augustinum in ostendenda Apostolorum harmonia ab Evangelicis non dissentire, hæc insuper addens, quæ ex abundanti hic omninò legi merentur: *Scriptura testatur apertissime, nihil prodesse Fidem, nisi eam, quam definiit Apostolus, id est, quæ per dilectionem operatur sine operibus autem salvare non posse. Absolutè autem est dictum & aperte, Quid prodest, si dicat quis, se Fidem habere, opera autem non habeat, numquid poterit & Fides salvare eum.* Et post aliqua *Fundamentum Christi est in structura sapientia architecti, hæc expositione non indiget, aperte enim est dictum.* Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus. *Si autem Christus, procul dubio Fides Christi per Fidem quippe habitat Christus in cordibus nostris; sententiam dicit Apostolus. Porro si Fides Christi, utique illa, quam definiit Apostolus &c.* Sequuntur ea, quæ paulò ante ex ipso de Fide & Operibus libro de differentia fidei Dæmoniacæ & salvificæ sunt adducta, de constantia Patris augustissimi in hæc etiam Questionem sufficiens testimonium exhibentia. Sed neque aliter docuit Augustinus in opere *Questionum octoginta & trium*, quod ibidem Lectori commendavit Bellarminus, verum absque verborum textu, quæ hic omninò sunt adponenda, ut Citatoris fraus porro in apertam producatur lucem: *Qui putant, scribit, Iacobi sententiam sententia Pauli contrariam esse, possunt arbitrari, ipsum etiam Paulum sibi esse contrarium, quia alio dicit loco, Non auditores Legis iusti sunt apud Deum, sed factores Legis iustificabuntur.* Et postquam alia huic similia ex diversis Pauli Epistolis adduxit loca, hæc subiunxit: *Quibus sententiis manifestè docet Apostolus, non eos præterito opere bono ad Fidei justificationem pervenisse, nec eorum meritis istam esse Gratiam datam &c.* Et multis omninò locis idem Apostolus satis aperteque prædicat, rectè vivendum omnibus, qui in Christum crediderunt, ne perveniant ad pœnas. Iterum post aliqua, *Non sunt sibi contraria duorum Apostolorum sententia, cum dicit unus, iustificari hominem per Fidem sine operibus; & alius dicit, esse inanem sine operibus Fidem, quia ille dicit de operibus, quæ Fidem præcedunt, iste de his, quæ Fidem sequuntur.* Eadem ferè in antecedentibus ad utrumque usque Apostoli consensum graviter inculcavit, quæ dum Bell. ad duplicem suam justificationem traxit, Fidem sine præviis operibus primæ, cum sequentibus verò operibus secundæ adscribens, oppidò fallitur, quia Augustinus in hoc & cæteris operibus, ad quæ hæc tamen Lectorem ablegavit Bellarminus, nullam ne levissimam fecit duplicis huius justificationis mentionem, hoc saltim ex mente Apostoli utriusque instantè urgentis, quod homo sine omni operum præcedaneorum merito ex merâ Dei Gratia per Fidem in Christum Mediatorem iustificatus, nihi hoc Beneficium velit amittere, seque-

Quæst. 76.

conf. Hülsem. contra Grot. §. 100.

sequemur ipsam Beatitudinem æternam ejusdem Christi satisfactione partam & fidelibus promissa privare, teneatur Fidem operibus Christianæ charitatis erga proximum ostendere, & reipsa demonstrare, eam non esse mortuam, sed vivam, arborem videlicet ex fructibus comprobantem. Quæ præterea ad Apostoli, vel potius Moïsis de Abrahamo verba, *Credidit Deo, & reputatum est ei ad justitiam*, ex Augustino habet Bellarminus, ut ostendat, Abraham ante quam hoc de eo dictum sit, fuisse justificatum, Evangelicis non obsunt, nisi, quando hoc de eo dictum est, velit intellectum de Justificatione *secunda*, id est, uti eam describit, per Fidem cum operibus, quâ Abrahamus ex justo factus sit magis justus vel justior, quod neq; Paulus, neq; Moïses, nec Augustinus, etiam dixit, Justificationem quoq; *secundam*, sit latiori significatu eam ita licet adpellare, rectius autem justificationis continuationem vocamus, itidem non nisi veræ Fidei adscribentes, eidem adscripturi, si sapius etiam ac pluries hæc phrasid obiterata Fidei documenta fuisset repetenda, operibus utur singularibus nunquam in hunc referendis censum, ut coram Deo ob ea Justus reputaretur, etsi coram hominibus apta essent Fidem justificationem demonstrandi.

vid. Calov.
Commēt.
in Sen p.
53.

In vindiciis argumentorum, quibus evangelici perfectionem operum impugnant, locus imprimis ex Psal. post 143. venit explicandus, cui dum ex August. *triplicem* adtingit sensum, in doctorem augustissimum injurius est, cum quæ in diversis operibus ad regii Psalms verba scripsit, non diversa sint, sed ad unum eundemq; pertineant sensum, & quidem sententiæ Evangelicorum minimè contrarium. Videamus breviter de singulis. In ipsa quidem enarratione homiletica hujus Psalms adplicat quidem hæc verba, *Non intres in iudicium cum servo tuo &c.* ad eos, de quibus testatur Apostolus, *quod ignorantes iustitiam Dei suam velint constituere*; sed in progressu sermonis mentem dicentis apertius indicare volens, ita eam expressit: *Non litigemus, nolo tecum habere causam, ut ego proponam meam iustitiam, Tu convincas iniquitatem meam. Quare hoc quoniam non justificabitur coram te omnis vivens. Omnis vivens, hic utiq; vivens, in carne vivens, moriturus vivens, natus homo ex hominibus vivens, de Adamo Adam vivens. Omnis itaq; vivens justificare se forte potest coram se, non coram te. Quomodo coram se? Sibi placens, tibi displicens. Coram te autem non justificabitur omnis vivens. Noli ergo intrare mecum in iudicium; Domine Deus! Quantumlibet rectus mihi videar, producis tu de tuo thesauro regulam; coaptas me ad eam, & pravus invenior. Quis inde non videt Evangelicorum ex Augustini explicatione sententiam? In libro de *Perfectione iustitie*, ubi horum regii Psalms verborum meminit sanctus Doctor, nihil habet de peccatis *venialibus*, uti Bellarminus scribit, verum hoc observat, quod de hac vita sine intelligenda, adque illam Justitiæ perfectionem referenda, *quæ in hac vita non fit*, quod omnino ad Evangelicorum sententiam pertinet. Quæ præterea ex opere ad *Orosium* adduxit Bellarminus, cum in finem ut doceat, Justitiam hominis imperfectam dici in respectu Justitiæ Dei, facile potuisset sibi servare, si attendisset, aut attendere voluisset, Patrem augustissimum particula *si* conditionali usum, agentem videlicet, quod ex antecedenti Tractationi constat, de sensu verborum *Eliphazi* apud Jobum quibus & servis Dei & Angelis omnimodam videtur denegare puritatem & Justitiam, ac expresse scribentem: *Non pro auctoritate Divinâ istam sententiam recipendam esse existimo. Qui postmodum quamvis dixit, non importunam sibi sententiam videri, alio tamen sensu noluit intellectam, quam si in comparatione Justitiæ Dei nec sancti in cælis Angeli esse dicatur iusti, posita nimirum conditione illa, quam minime habuit pro indubia, ut ex dictis est manifestum. Quidquid autem sit de hujus Pronuntiati ex ore Eliphazi veritate, circa quod diversa apud interpretes leguntur sententiæ, quas hic proximo enumerare vel discutere non vacat, ponatur, fuisse hanc de Justitia Angelorum opinionem Augustini categoricam ac sine omni conditione illimitatam, non video, quid causam Bellarmini possit juvare, quia potius, si ponderetur accuratius, non planè nullum Evangelicis contra *perfectam* hominum Justitiam suppeditat argumentum, ita ut ex ejusdem Eliphazi, & sic etiam Aug. mente liceat à majori ad minus sic concludere: Sine Angelis in cælis sancti, angelis nimirum apostatis oppositi, in cōparatione Justitiæ Dei dicuntur iusti, videlicet *perfectè*, ut nullo unquam peccato Deum creatorem ostenderint, in constanti sanctitate eidem semper inservientes; quanto minus *perfectè* iusti poterūt dici Adami & Evigenæ, qui non solum labis hereditariæ reatū à primo Cōceptionis momento habent, sed etiā post gratiæ Regenerationis & Justificationis Beneficiū tot actualia perpetrant peccata ut ipsimet eorum inire numerū nequeant, sed prævio Davide ignotorum quoque peccatorum veniam à Dei misericordiā rogare cogantur.**

64. 15.

vid. Walth.
Cent.
Misc. p.
524.

Quam necessarîe quam providenter & salubriter admonemur, quod peccatores simus, qui pro peccatis rogare compellimur, ut, dum indulgentia de Deo petitur, Conscientia sua animus recordetur, ne quis sibi quasi innocens placeat, & se plus extollendo pereat, instruitur & docetur, se peccare quotidie, dum quotidie pro peccatis jubetur orare.

Super jam adhuc sunt ea Augustini testimonia, numero tria, quod imperfectionem Justitiæ in hac vita aliquanto disertius probant, & ita quidem, ut, quamvis conatus sit Bellarminus, ea Evangelicis eripere, nihil tamen invenerit, quo splendori Veritatis potuerit nebulas objicere. Primum certè ex opere Epistolarum tam perspicuum est, ut coactus fuerit agnoscere Bellarminus, Augustinum in eo imperfectionem & defectum, qui in nobis & ratione Concupiscentiæ, *largo quodam modo vitium & peccatum* appellare. Falsus fortè etiam esset peccatum propriè dictum, si sequentia in laudato Augustini loco attendisset verba, quæ immediate subjunguntur: *Ex quo visio non justificabitur in conspectu Dei omnis vivens; propter quod vitium, si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosmet ipsos seducimus, & Veritas in nobis non est. Propter quod etiam, quantumlibet profecerimus, necessarium est nobis dicere, Dimitte nobis debita nostra, &c.* Talia enim hæc sunt, quæ faciliè ambages Bellarmini possunt præscindere, nisi ipsum quoque Spiritum Sanctum per Prophetas & Apostolos loquentem, ut & Orationis Domini- cæ Authorem & Dictatorem Christum, quorum testimoniis usus & Augustinus, *impropiè* peccato vocabulum locis citatis usurpasse velimus dicere, quod an fieri possit vel debeat, videant ii, quibus incumbit sollicitos esse de eo quam maxime, ne *impropiè* vocabulis adferatur sensus, ubi proprius per analogiam Fidei in locis Scripturæ parallelis manifesta, ac sine ejus læsione potest & debet habere locum. Quæ præter id ex libro sæpè hæcenus citato de *Perfectione Justitiæ*, quin & ex opere de *Spiritu & Litera*, non absque Lectoris fastidio, ad hujus testimonii ex omni parte clarissimi elusionem inculcavit Bellarminus, suis jam locis acceperunt responsum. Secundum quoque Testimonium vix paritur, ut quidquam excipiat, cum laudabili etiam vitæ Misericordiam statuit necessariam. Quidquid enim de bonis operibus *Monica*, Marris Augustini inspergit Bellarminus, quorum causâ Deo gratias agit, simul imperfectionis arguitur per ea, propter quæ veniam à Deo petit, ut ad eodè unum per aliud sit temperandum. Tertium adhuc clariuserit, si addantur ea, quæ immediate sequuntur, ubi potè Doctor augustissimus suam ita explicavit Mentem: *Tunc & secundum hanc infirmitatem pro suo modulo perfecta ista parva Justitia, quando etiam, quid sibi desit, intelligit. Ideoq; Apostolus perfectum & imperfectum se dicit. Imperfectum scilicet cogitando, quantum sibi desit ad Justitiam, cujus plenitudinem adhuc esurit & sitit; Perfectum autem, quod & suam imperfectionem confiteri non erubescit, & ut perveniat, bene procedit, sicut dicere possumus, perfectum esse viatorem, cujus bene promoveatur accessio, quamvis non perficiatur intentio, nisi facta fuerit perventio.* Imò adhuc magis patet, Patrem sanctum Evangelicis consentire, ubi ea accuratius ponderantur, quæ Bellarminus ex eodem opere, ubi legantur antecedentia, contra semet ipsum adduxit, in quibus etiam Justitiam fidelium vocavit *veram & perfectam*, limitavit tamen *pro vitæ hujus capacitate*, quod alibi etiam non semel ab ipso factum. Verborum è libro de *Correptione & Gratia* sensus erit manifestus per ea, quæ nunc sequenti Controversia adducentur.

LIBRI QUINTI CAPUT TERTIUM & seqq.

D E

BONORUM OPERUM MERITIS.

Eodem quo hæcenus ordine procedit Bellarminus, ut prius suam thesin firmet partim Scripturæ dictis, partim testimoniis Patrum, post demùm ad ea respondeat, quæ vel ex Scriptura, vel ex Patribus in contrarium ab adversariis solent adduci. Primum verò argumentum sumit ab iis Scripturæ locis, ubi Vita æterna videtur vocari *Aerces*, inter quæ refert *Denarium* è Parabola *Vinitoria vespertinum*, per quem significari *Vitam æternam*, communi consensu Patres dicit docere, ac inter illos Augustinum in libro de sancta virginitate. Secundum ab iis deducit, in quibus habetur, *cap. 26.* præmium cœleste dari hominibus *secundum mensuram & proportionem operum & laboris*; undè putat evidenter colligi, in præmio illo conferendo non haberi rationem solius promissionis, vel liberalitatis, vel Indulgentiæ Dei, *sed etiam dignitatis & efficaciæ ipso: unoperum.* Ad quæ quia responderi monuit, danda quidem esse præmia in hac

liiii

vita

vita & in futurâ bonis operibus, non tamen Vitam æternam, observari voluit inter alia, Scripturam, quamvis nunc regnum Cælorum, nunc Visionem Dei, nunc Salutem animarum, nunc aliis explicet verbis Beatitudinem Sanctorum, tamen semper eam eandem intelligere, id est, Vitam æternam, docente Augustino in opere de *Sermone Domini in Monte*. Cæteris argumentis præteritis, quia nullum in deductione eorum ex Augustino subsidium adparet, *septimum* & ultimum ex iis mutuatur locis, ubi dicitur Deus *Iudex justus*, & non acceptor personarum; ad cuius illustrationem sequentia adducit Augustini verba: *Si non sunt Merita, quomodo hunc mundum iudicabit Deus?* Bellarminus hanc adjicit glossam, proinde adversariorum hæresis, quæ tollit Merita, tollit simul Articulum Fidei de Judicio futuro. Inter testimonia Patrum duo sequentia ex Augustino profert. *Prius* ita habet: *Nullane sunt merita iustorum? Sunt plane, quia iusti sunt; sed ut iusti fierent, merita non fuerunt.* Et infra, *Sicut merito peccati tanquam stipendium Mors redditur, ita merito Iustitiæ tanquam stipendium Vita æterna.* Posterius in libro de Moribus Ecclesiæ sic legitur: *Vita æterna & totum præmium, cuius promissione gaudemus, nec præmium potest præcedere Merita, & homini prius dari, quam dignus est. Quid enim hoc est iniustus, & quid iustus Deo? Non ergo debemus poscere præmium antequam mereamur accipere.* Bellarminus sequentia ad hæc observat, Augustinus hic docet non solum hominem habere merita æternæ Vitæ, sed etiam unum & totum præmium nostrum esse Vitam æternam, contra sententiam adversariorum, qui varia in hac vita & in futurâ finxerunt præmia, ut eluderent testimonia, quæ loquuntur de Meritis, ac ne cogèrentur admittere, opera bona esse præmia Vitæ æternæ; *Item docere*, Meritis operum ex Iustitia dari præmium Vitæ æternæ, ne forte dicerent, dari quidem, sed ex mera liberalitate. *Addere*, non dari, nisi prius eâ digni inveniantur, qui illam sunt habituri, ne dicant, nullam esse in operibus dignitatem; *dicere denique*, iniquissimum esse, petere à Deo, Iudice iustissimo, æternam vitam ante, quam merearis eam accipere, ubi damnet aperte Lutheranos omnes, qui vitam æternam operibus mereri non volunt, & tamen eam Fide certissima sibi dandam esse præsumunt. Ad hujus confirmationem alia decem loca ex diversis Augustini operibus citat Bellarminus, quæ verbotenus adducere non neglexisset, prout alibi ab eo factum, nisi pleraque sibi contraria, ad minimum talia agnovisset, quæ non sufficerent ad præscriptam thesin directè demonstrandam.

Post hæc progreditur ad objectiones adversariorum contra operum bonorum Merita, è quarum numero *primam* esse dicit ex illis Scripturæ locis, quæ testantur, ipsam Gloriæ coronam & Beatitudinem ex *Misericordia*, non ex Iustitia, ac per hoc non propriè Meritis reddi, sed gratis dari; & respondet, Augustinum hæc loca diligenter expendere, tum in Epistola superius citatâ, tum in libro de *Correctione & Gratia*, ad duas indicare Expositiones. *Vnam* esse, quod Beatitudo tribuatur Misericordiæ, non quia non sit vera Merces meriti, sed quia ipsa Merita sunt data ex Misericordia. Non enim, inquit, potest homo opera facere meritoria, nisi prius sit iustificatus; iustificatur autem non ex operibus, sed ex Gratia & Misericordia. Quare, ita porro scribit Bellarminus, solet etiam Augustinus distinguere, ut dicat, ipsi Iustitiæ vitam æternam esse Mercedem, non Gratiam, ipsi autem homini esse Gratiam, non mercedem, quoniam Iustitia homini ex Gratia. *Alteram* Expositionem esse, quod in ipsâ coronatione, quæ Merces & meriti, Misericordia etiam sit necessaria, quæ peccata remittat venialia, sine quibus nulli vivunt, & pauci hanc finiunt vitam; cæterum addere ibi Augustinum, ipsam hanc Misericordiam bonis Sanctorum meritis esse debitam, & in Judicio non tam donari, quam reddi, ut iusta dici possit Misericordia, quoniam iusto redditur Judicio. *Tertiam* objectionem esse dicit ex verbis Christi: *Cum feceritis hæc omnia, dicite, inutiles servi sumus, quod debuitis facere, fecimus.* Inter diversas quatuor Expositiones *tertiam* Augustini ex opere *Sermonum de Verbis Domini* hanc proponit, *Servi inutiles dici possumus, cum omnia mandata Divina servavimus*, quoniam nihil facimus ultra id, quod debemus, & nihil inde Mercedis justæ possemus petere, nisi Deus liberali pacto nobiscum voluisset convenire. Nam ex conditione sumus DEI mancipia, & si velit, potest nos absque ullo præmio ad opera omnia, quæcunque illi placuerint, obligare. Hanc igitur conditionem nostram ad Humilitatem conferendam vult Christus nos agnoscere; quamvis ex pacto gratuito, quod nobiscum facere dignatus est, possemus dicere cum Apostolo: *Reposita est mihi corona Iustitiæ, quam reddet mihi in illa die justus Iudex.* Nam & Dominus ipse dicit: *Nonne ex Denario con-*

venisti mecum? Tolle, quod tuum est, & abi. Inde Augustinus: *O magna Dei bonitas, cui cum pro conditione obsequium debeamus reddere, ut potè servit domino, amicitiarum nobis repropmittit premia, ut à nobis obsequi a debuit & servituti extorqueat.* Notandum verò, Bellarminum de hac Augustini & tribus cæteris Expositionibus, quas aliis adscribit Patribus, in antecessum monuisse, omnes egregias esse, nec ullam contra operum bonorum Merita pugnare. *Quartam* objectionem esse dicit ex illis Apostoli verbis, *stipendium peccati Mors, Gratia Dei Vita æterna.* Hinc enim evidenter, ita ex Evangelicorum mente scribit Bellarminus aperte excludi Merita, tum quia Vita æterna non dicitur operum bonorum stipendium, sicut Mors æterna stipendium peccati; tum quia simpliciter Gratia dicitur. *Bellarminus respondet,* Augustinum hoc argumentum diligenter solvere, diversis tribus Scriptis in medium productis, & duo dicere, *primò,* potuisse Apostolum rectè dicere, stipendium Justitiæ Vita æterna, sicut dixit, stipendium peccati Mors, quæ confessio Augustini juxta Bellarminum penitus causam adversariorum jugulat. *Secundò,* non esse dictum, stipendium Justitiæ Vita æterna, sicut stipendium peccati Mors, ne quis existimaret, ita nos ex nobis habere Justitiam, sicut ex nobis habemus peccata. Itaque, sic porro Bellarminus scribit, quasi ex Augustini sententia, Gratia dicitur Vita æterna, non quia non est Merces meriti, sed quia Merita ipsa habemus ex Gratia. *Sextam* objectionem esse dicit ex ejusdem Apostoli verbis, quibus sic suam de præsentis Quæstione expressit mentem: *Omnia, quæ mihi lucra erant, propter Christum feci detrimentum, & arbitror, ut stercora, ut Christum lucrificam, & ut inveniar in illo non meam habens justitiam, quæ est ex Lege, sed illam, quæ est ex Fide Jesu Christi.* In responsione præter alia hæc etiam habet Bellarminus, Adversarii, qui hunc locum impudentissimè referunt ad opera bona, quæ ex Fide & Gratia Dei à sanctis & justis hominibus fiunt, deberent vel unum ex tota vetustate producere, qui ita exposuisset. *Augustinus* certè in opere de peccatorum meritis & remissione dicit, Apostolum opera bona vocare detrimenta & stercora, quæ fecerat in Judaismo, quoniam talia videri poterant in comparatione Justitiæ eminentissimæ, quæ habetur per Fidem Christi in Ecclesia Catholica; ubi Justitiam Christianorum non solum non vult adpellari detrimenta vel stercora, sed eminentissimam nominat Justitiam. Imò nec justitiam, quæ in Judaismo erat, absolute damnat eo in loco, sed in comparatione justitiæ Christianæ. Idem verò Augustinus, ita iterum & porro Bellarminus, hunc locum tractat diligentius in opere contra duas Pelagianorum Epistolas, in opere de Gratia & libero Arbitrio, & in opere Sermonum de verbis Apostoli. Damnat quidem absolute justitiam illam, quam Apostolus vocat detrimenta & stercora, sed ideò, quia docet, illam esse justitiam superborum, qui suis viribus solis existimant sine Fide & Gratia Christi posse se implere justitiam; Justitiam enim ex Fide & Gratia ubique laudat Augustinus, & Meritum vitæ æternæ docet esse?

Sequuntur objectiones à Patribus, & tres nominatim ex Augustino. *Primo* ex Commentario in Platmos, ubi hæc leguntur: *Tua sunt peccata, Dei sunt merita. Supplicium tibi debetur, & cum venerit premium, sua coronabit dona, non tua merita.* *Secunda* ex opere Sermonum de verbis Apostoli, *Pro nihilo salvos facies illos. Nihil invenis, unde salvos, & multum invenis, unde damnes.* *Tertia* ex libro de Gratia & libero Arbitrio, *Malluit dicere, Gratia Dei vita æterna, ut intelligeremus, non pro meritis nostris Deum nos ad vitam æternam, sed pro sua misericordia perducere.* Bellarminus ad hæc in genere sic respondet, Augustinus ubicunque damnat Merita, loquitur de Meritis, quæ sunt in nobis ex nobis, id est, sine gratia Dei, id quod ex duobus locis apertissimè poterit intelligi. *Prior* est in Epistola superius citata: *Ipsa vita æterna, quæ in fine sine fine habebitur, & ideò meritis præcedentibus redditur, tamen quia eadem merita, quibus redditur, non à nobis per nostram partem sunt sufficientiam, sed in nobis facta per gratiam, ipsa etiam gratia nuncupatur, non ob aliud, nisi, quia gratia datur, nec ideò, quia meritis non datur, sed quia data sunt & ipsa merita, quibus datur.* *Et infra:* *Cui debetur vita æterna, vera est justitia; si autem vera est justitia, ex te non est, desursum est, descendens à Patre luminum. Vt haberes eam; si tamen habes, accepisti profecto. Quid enim habes, quod non accepisti? Quapropter, o homo, si accepturus es vitam æternam, justitia quidem est stipendium, sed tibi gratia est, cui gratia est ipsa justitia; tibi enim tanquam debita redderetur, si ex te tibi esset justitia, cui debetur.* Bellarminus subjungit: *Habemus ex hoc loco, nostram justitiam, cui redditur vita æterna, veram esse justitiam, ac per hoc verè meritoriam, non autem ita imperfectam, ut possit dici peccatum, uti dicunt adversarii. Habemus deinde, Augustinum, cum dicit, nobis non deberi vitam æternam ex merito, sed gratis donari, de homine loqui, qualis est sine gratia Dei,*

cap. 6.

& qui suis viribus solis operatur; homini enim, ut operatur ex gratia, nunquam negavit Augustinus vitam deberi æternam ex merito, cum ipsi iustitia, quam homo per gratiam operatur, vitam æternam dicat reddi tanquam stipendium. Posterior locus, quem in generali responsione tribus ante laudatis opponit Bellarminus, & ex opere de gratia & libero arbitrio: *Cum dicunt Pelagiani, hanc esse solam, non secundum merita nostra gratiam, quæ homini dimittuntur peccata, illam verò, quæ datur in finem, id est, vitam æternam nostris præcedentibus meritis reddi, respondendum est eis. Si enim merita nostra sciuntur, ut ipsa etiam Dei dona esse agnoscerent, non esset reprobanda ista sententia. Quoniam verò merita humana sic predicant, ut ea ex se ipso habere hominem dicant, rectissime prorsus respondet Apostolus: Quis te discernit, quid habes, quod non accepisti? Prorsus alia cogitandi dicitur verissime, sua Deus dona coronat, non tua merita, si tibi à te ipso, non ab illo sunt. Hæc enim si talia sunt, mala sunt; quæ mala sunt, non coronat Deus. Si autem bona sunt, Dei sunt dona. Et iterum: Si Dei dona sunt bona merita tua, non Deus coronat merita tua, sed tu. Et iterum: Si Dei dona sunt bona merita tua, non Deus coronat merita tua, sed tu. Porro: Apostolus, cum dixisset, Gratia salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est; non ex operibus, ne quis extollatur, vidit utique, putare homines posse, hoc ita dictum, quasi necessaria non sint opera bona credentibus, sed eis sola fides sufficiat, & rursus posse homines de bonis operibus extolli, velut ad ea faciendâ sibi sufficienti, mox ut aquæ addidit. Ipsius figmentum fumus, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus. Quid & hoc quod, cum gratiam Dei commendans dixisset, non ex operibus, ne forte quis extollatur, cur hoc dixerit, rationem reddens, Ipsius enim fumus figmentum, creati in Christo Jesu in operibus bonis? Quomodo ergo, non ex operibus, ne forte quis extollatur? Sed audi & intellige, non ex operibus, dictum, tanquam tuis, ex te ipso tibi existentibus, sed tanquam his, in quibus te Deus finxit, id est, formavit & creavit. Et infra: illa (nimirum opera boni gratia) cui datur, tantummodo gratia est; hæc autem (id est, vita æterna) quæ illi datur, quoniam est præmium, gratia est pro gratia, tanquam merces pro iustitia, ut verum sit, quoniam est verum, quia reddet unicuique Deus secundum opera.*

cap. 7.
& 8.

Bellarminus subjungit, ex his manifestè colligitur, quid Augustinus sentiat de Meritis, nec opus est verbis eorum aliquid addere, cum sine ulla ambagibus dixerit, illa se merita damnare, quæ nobis non sunt ex Deo. Brevi horum Examini posset, & forte deberet etiam promitti, quod hæcenus non semel observatum, statim Controversiæ positio & accuratius iudicium discriminis inter sententiam Evangelicorum & errores Papistarum ratione meriti, quo nimirum sensu illud operibus bonis adscribendum sit, quo iis denegandum, nisi huius jam supra in Quæstione de sola Fide facta fuisset mentio, & Gerhardus noster in Confessione Catholica ita sufficienter hoc explicasset, ut nihil super amplius esse videatur, quod iure à quoquam ad rem ipsam queat desiderari, præsertim quia in ipsa laudatorum à Bellarmino testimoniorum discussione quædam hinc inde occurrent observanda, quæ huic negotio ulterius illustrando non erunt inidonea. Primum quidem quod attinet testimonium à Parabolâ de Denario, quem de vita æterna intelligere Augustinum scripsit Bellarminus, non occupabor in proluxa recensione variorum apud Interpretes sensuum, quorum non paucos ex antiquis & recentioribus peculiari antehac Commentatione exhibuit Dorscheus, sed hoc tantum monebo, quamvis Augustinus per Denarium intellexerit vitam æternam, Commentatores & Interpretes Papæos non obligatos se existimasse, ut sine omni limitatione hunc Augustini sensum adprobarent, quin potius liberum sibi putasse, suæ etiam mentis sensu superinde apertius expromere. Hinc post Iansenii Gandavensem, cuius verba prolixè adduxit laudatus modò Gerhardus in Confessione Catholica, Barradius, ubi plerorumque Ecclesiæ Doctorum, Originis, Irenæi, Hieronymi, Chrysostomi, Gregorii, Augustini, & aliorum his contentientium Explicationes Lectori curioso stitit, alias etiam sed sine Authoribus adjunxit, suam denique exposuit mentem & sensum aliis præferendum, arbitratus, Parabolam de Iudeis & Ethnicis esse interpretandam, pro indubio adponens, verba, Novissimi erunt primi, &c. ex quibus pendeat explicatio Parabolæ, de iisdem esse intelligenda. Et dum sibi et ipsi objecit, in Parabola primos & novissimos eandem recepisse mercedem, scilicet Denarium, at Iudeos factos novissimos non recipere mercedem, quam recipiant Christiani, celestem videlicet gloriam, sed penam mancipari tartareis; respondit ex Chrysostomo, in Parabolis non oportere rei significatæ omnia ad amussim accommodare, nec nimia in verbis singulis per angustiam, sed cum, quid per Parabolam Dominus intendat, percepimus, inde collectâ

collectâ utilitate nihil ulterius anxio conatu investigandum esse. *Addit*, scopum Parabolâ Dominum proposuisse in fine capitis antecedanei, dicendo, *Multi primi erunt novissimi*, &c. Atque hoc, quod propositum fuit, ostendere primos in vinea operarios, factos in solutione mercedis novissimos, & novissimos in eadem vinea operarios, factos in eadem solutione primos. *Non autem indicare Parabolam*, Judæos infideles & Ethnicos credentes eadem donari mercede; id namque rei significatâ non congruere, docente etiam *Iansenio*, sed ostendere tantum, *Judeos primos factos esse novissimos, & Ethnicos novissimos factos esse primos*. Quæ sequuntur ibidem, quia prioribus sunt contraria, omittuntur, dum prolixius ea refutare jam non vacat. Hoc tamen prætermittendum non videtur, quod de *Lyrano* habet, tum quoque hanc Parabolam de Judæis & Ethnicis exponere, ac dicere, *Denarium non vitam æternam, sed gratiam significare*, quam tum Judæis conversis, tum Ethnicis Deus donet in hac mundi vesperâ. Mentionem quoque facit interpretationis verborum, *Multi sunt vocati*, &c. per quam pauci dicantur, qui ad magnam virtutem & prærogativas Ministrorum Novi Testamenti sint electi; quæ hæc coincidit cum ea, quæ *Franzio* & aliis Nostratum placet, quod videlicet dictum hoc de *ocatione ad Apostolatam* sit explicandum. Ita testatur *Esthius de Hesselio*, quod per novissimos intelligat reprobos, & Parabolam *non male* ex mente Salvatoris ad Judæos reprobos & gentiles electos accommodet, quia Judæi receperint, quod suum est, id est, *Denarium temporalem*, gentiles autem Denarium æternum; addens in super, sic & *Iansenium* explicare, ac certum esse dicere, quod hic *germanus* Parabolâ sit sensus. Plura in præfenti non addo, cum sufficere hæc possint, ut ostendatur, quâ libertate Interpretes Papæi Explicatione Augustini seposita & non attentâ de Denario hoc Parabolico variè statuerunt, eâdem gaudere etiam Evangelicos, nec præcisè ad ejus receptionem obligatos esse.

In *secundi* argumenti propositione, quod vitam æternam fidelibus dari testatur *secundum* opera, Bellarminus nimis liberalem se præstitit, dum Dicta Scripturæ non unius generis in unum colligens, intelligenda esse dixit secundum mensuram & proportionem operum & laboris, cujus tamen interpretationis nullum observatur in citatis Scripturæ dictis vestigium, quia nullibi dicitur dari vitam æternam *propter* opera, quod aliquam ex justitiâ, quam vocant *commutativam*, tenore proportionem videri possit inferre, certumque vitæ æternæ ad opera respectum, sed *secundum* opera, quod non tam ipsam vitam æternam, quam vitæ æternæ diversos gradus designat; & quod in super notandum, si in oppositione damnationis æternæ, quæ in fideles *propter* opera mala manet, fidelibus etiam vita æterna promittitur danda *secundum* opera, non alio sensu id venit intelligendum, quam quo bona opera considerantur tanquam fructus veræ fidei, cui soli & justificationem & æternam salvationem adscribi supra sufficienter est demonstratum, dum opera fidelium bona, si ad legis normam & secundum omnes circumstantias examinantur, nunquam sint ex affe & perfecte bona, ita ut aliqua inter ea & vitam æternam intercedat *proportio*, sicut è contrario opera infidelium mala sint perfecte mala, si aliqua perfectio proprie & accuratè loquendo adscribi potest malo, utpote quod boni perfectionem omninò destruit & annihilat. Uti autem hæc observatio totum hoc negotium illustrat non parum, ita quod Bellarminus ex Augustino de *Synonymia* beatitudinis æternæ habet, ad rem ipsam nihil planè facit, præterquam quod ad tale opus provocat, quod in mea quidem Editione in libros, non autem in capita distinguitur, adeoque Bellarminus alia usus fuisse videatur.

Quæ porò ad *septimum* & ultimum ex Augustino observat argumentum, quo Deus dicitur *Index justus*, ex modò dictis facile accipiunt responsum, si nimirum attendatur, respectu & fidelium & infidelium Deo adscribi hoc Elogium. Horum propter justitiam, uti vocatur vindicativam, secundum quam omninò justum est, ut non tam constanter, quam pertinaciter & impœnitenter malis malum quoque, si aliquid malum ab optimo & omnis verè boni fonte Deo potest ducere originem, rependatur; Illorum verò propter veritatem factæ promissionis, quâ tenetur Deus iis vitam æternam dare, qui Christi meritum verâ fide amplectuntur, & in ea usque ad finem vitæ perseverant. *Verâ*, inquam, *Fide*, quæ per opera bona se exerit; quibus dum vita æterna dicitur rependi, per regressum ab effectu ad causam fit quasi à posteriori demonstratio.

Inter duo Augustini dicta, quibus operum bonorum merita adstruere laboravit Bellarminus, *Primum* est ex Epistola post centesimam quinta, cujus potior pars quia pertinet ad Apostoli sententiam de *stipendio peccati* & vitæ æternæ gratuitâ collatione

accuratius intelligendam, eorum meritò reservatur, ubi proximè ex Augustino amplius de eo agendum erit; eo interea observato, & iustis fidelibus non omnem *meriti* respectum ab Evangelicis negari, quod ab Augustino etiam hic & alibi sæpius inculcatum non nesciunt. *Secundum* ex opere de moribus Ecclesiæ, dum expressam facit *promissionis* Divinæ & *præmii* mentionem, omnia prædamnavit, quæcunque Bellarminus, glossator liberrimus & liberalissimus, exculpere conatus est. Si enim attendatur ratio *præmii*, & *promissionis*, *Meriti* propriè dicti ratio, quam Papæ hic urgent, omnino cessabit. Et quia utriusque vocabuli consideratio statum Scholasticum nobis revocat in memoriam, ratio comparationis non impertinenter hic potest applicari. Ad quem namque modum discipuli, sine præmiis etiam, ad diligentiam in studiis obligantur, præter alios & publicos respectus, sui quoque commodi & propriæ utilitatis causâ, nisi malint semet ipsos deserere, ac per laboris fugam certo se exponere in futurum damno, dum verò promittuntur præmia, Gratia debetur eorum, qui hæc ratione diligentiam in discipulis acuerelaborant, atque ad ulteriora accendere; Ita omnes quidem in universum homines, fideles præsertim, ob acceptam justificationis gratiam, Deo debitores sunt, ut non secundum carnem, vel ejus desideria, sed secundum inhabitantem Spiritum, ad quævis opera bona imitantem & manu quasi ducentem vivant, ut autem magis strenuè id exequantur, nihilque eorum intermittant, quæcunque ex debito requiruntur, accedit ex mera Dei liberalitate *promissionis* gratia de præmio in æternæ beatitudinis statu iis exhibendo, qui præ aliis fideliter laborarunt, fidemque, Dei solius Donum & Bonum, operibus bonis eorum hominibus demonstrarunt, aliis exemplum imitationis laudandæ ad nominis Divini gloriam præbentes. Manifesta hinc evadit iniquitas accusationis Bellarminianæ, quasi eludamus Scripturæ testimonia, quæ de Meritis loquuntur. Cadit etiam oppositio *liberalitatis & justitiæ*, quæ hic tanquam subordinata consideratur, dum ipsam *promissionis* antecedentem liberalitatem, quæ non nisi à sola Dei gratia ducitur, sequitur ejusdem gratiæ *promissionis* veritas & justitia, quia & hoc justum est, ut quod Deus in verbo verax, ut ex indebito promisit, vi factæ *promissionis* etiam præstet, atque fidelibus ad finem usque constanter perseverantibus vitam largiatur æternam, quam fideliter dare promisit. Neque juvat Bellarminum, quod Augustinus candidatis æternæ beatitudinis aliquam adscribit *dignitatem*, ut potè quam Evangelici etiam agnoscunt, sed non aliam, quam à Merito Christi dependentem, cum alias operum quoque bonorum, ob imperfectionem proximè demonstratam, tanta dignitas esse non possit, quæ in aliquem ad consequendum æternam beatitudinem veniant respectum, nisi quatenus originem suam habent à fide vera, quæ solum Christi Merito innititur; non aliâ ratione, quam quæ secundum similitudinem modò adductam discipuli diligentes dicuntur *digni* præ aliis, quibus præmia ante promissa exhibeantur, quamvis ipsa *promissio* ex antecedente gratia procedat, ut dictum est. Denique non damnat Augustinus Evangelicorum sententiam, uti vult Bellarminus, sed potius confirmat, etsi vocabulo *meriti* in vita æterna impetranda utatur, cum sæpius jam fuerit inculcatum, alio planè sensu Augustinum hæc uti voce, quam Papæos, quod in sequentibus etiam porro docebitur, ac ostendetur, nos vitam æternam operibus propriè mereri posse nullatenus, sed manere donum & gratiam DEI, non nisi fide verâ impetrandam. Decem loca, quæ Bellarminus porro citavit ex Augustino, dum pleraque occurrunt in sequentibus, brevitate ergo jam omituntur, ne sæpius eadem non sine Lectoris fastidio cogamur iterare.

Nunc quod attinet ipsas Evangelicorum contra rationem Meriti propriè sic dicti objectiones, *primam* ex illis Scripturæ dictis defunctam, quæ vitam æternam DEI *Misericordie* adscribit, Augustinus ita proponit, ut nullo planè modo Evangelicis possit opponi, quod patebit manifestius, ubi ipsa ejus verba adponentur, quorum sensum tantum, sed suæ opinioni erroneæ applicatum exhibuit Bellarminus. Ea sunt ex Epistola superius laudatâ, quatenus huc pertinent, sequentia: *Sicut ab initio fidei misericordiam consecuti sumus, non quia fideles eramus, sed ut essemus; sic in fine, quod erit in vita æterna, coronabit nos, sicuti scriptum est, in misericordia & misericordia. Non itaque frustra cantatur Deo, & misericordia ejus præveniet me, & misericordia ejus subsequetur me. Unde & ipsa vita æterna, quæ utique in fine sine fine habebitur, & idèd meritis præcedentibus redditur, tamen quia eadem merita, quibus redditur, non à nobis parata sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis facta per gratiam, ipsa etiam gratia nuncupatur, non ob aliud, nisi quia gratia datur, nec idèd, quia meritis non datur, sed quia data sunt & ipsa merita, quibus datur.* His

His non multum dissimilia scripsit in libro de Correctione & Gratia, ex quo itidem Bellarminus suum adstruere voluit errorem: *Numerus Sanctorum per Dei gratiam regno Dei predestinatus, donata sibi etiam usque in finem Perseverantia, integer illuc perducitur, & illic integerrimus iam sine fine beatissimus servabitur, adhaerente sibi Misericordia Salvatoris sui, sive cum convertuntur, sive cum praeliantur; sive cum coronantur; nam & tunc illis esse Misericordiam DEI necessariam, sancta testatur Scriptura.* Et post aliqua: *Etiam ibi Misericordia DEI est necessaria, qua fiet beatus, cui non imputavit Dominus peccatum, sed tunc pro bonorum operum meritis iusto Iudicio ipsa etiam Misericordia tribuetur.* Iterum, *Quia & ipsa Vita aeterna, quam certum est bonis operibus debitam reddi, à tanto Apostolo DEI gratia dicitur, cum Gratia non operibus reddatur, sed gratis detur, sine ulla dubitatione considerandum est, idè Gratiam vocari Vitam aeternam, quia his redditur meritis, quae Gratia contulit homini.*

Ex utriusque hujus testimonii accuratâ consideratione Lector Veritatis studiosus facile observabit, quid judicandum sit de duabus Expositionibus, quas Augustino ex iisdem adscripsit Bellarminus, in quarum propositione fidem suam iterum non parum suspectam fecit, quod hactenus etiam non semel factum. Nullibi certè legitur, Beatitudinem aeternam esse *veram*, id est, propriè dictam meriti Mercedem; neque etiam scripsit sanctus Doctor, justificatum posse opera facere *meritoria*, conimimum sensu, qui apud scriptores obtinet Papæos. *Insuper etiam mihi non licuit esse tam oculato, ut laudatam à Bellarmino distinctionem inter Justitiam hominis justificati & ipsum hominem justificatum in his testimoniis observarem, utut, sano sentu intellecta possit etiam hic habere locum, si vocabulum Mercedis accipiatur itidem significatu latiori, quatenus scilicet Gratia ex Augustini mente in ejus redditione intercedit.* Nullam quoque hic Pater augustissimus mentionem facit peccatorum *venialium*, quorum respectu DEI Misericordia sit necessaria, ne videlicet operum bonorum meritis sint impedimento. Tandem, hanc Misericordiam bonis Sanctorum meritis nullibi dixit *debitam*, neque *justam*, uti porro vult Bellarminus, sed potius *necessariam*, utut addiderit, *iusto Dei iudicio pro bonorum operum meritis ipsam quoque Misericordiam tribui.* At, quis prudens credat, August. Disputatorem acutiss. & accuratissimum, operibus bonis *Meritum* propriè dictum adscripsisse, quibus Misericordiam Dei iudicavit *necessariam*? Addiderit licet *justum* Iudicium, non aliam tamen intellexit Justitiam, quam Veritatis in promissionibus, quo respectu ipsam quoque Vitam aeternam dixit *debitam*, atque etiam potuisset Misericordiam, cui Vitam aeternam adscripsit, vocare *debitam* atque *justam*, quia credentibus & ex verâ Fide operantibus utramque promisit, sed non nisi gratiosissimè. Hoc eodem sensu scripsit ibidem, Vitam aeternam *meritis precedentibus* reddi, sicut nimirum discipulis diligentibus redditur præmium ex merâ liberalitate & Gratia promissum. De cætero singulariter notandum, quod eadem hæc Merita notanter dixit *non à nobis parata*, (fortitan, patrata) *sed in nobis facta*; quod solum posset sufficere, si nihil aliud esset, ad denegandum operibus humanis rationem *Meriti* propriè sic dicti, quod tam instantè urgent Papæi meriticolæ. Quin & hoc non sinè observatione prætermittendum, quod expressè in *posteriori* testimonio scripsit Augustinus, *Gratiam*, quod prædicatum adscripsit Vitæ aeternæ Paulus, non operibus reddi, *sed gratis dari*, quamvis hoc cum additamento, idè ab Apostolo Vitam aeternam vocari *Gratiam, quia his reddatur meritis, quæ Gratia homini contulerit*, de quorum verborum sensu agitur proximè, postquam videlicet ejusdem sancti Doctoris mentem circa Christi sententiam de *servis inutilibus* habebimus perspectam.

Equidem Pater augustissimus in loco, quem citavit Bellarm. Christi oraculum nec ex professo tractavit, nec qualitercunque sibi sumit exponendum, imò nec ipsamet adduxit verba, ita ut Bell. Lectorem seduxisse iterum posset videri, dum ei verborum Christi paraphrasin quasi ad Aug. mentem exhibuit, nisi ea Evangelicis prodesset magis, quam obesset. Bene enim contra supererogationis opera scriptum est, *nihil nos facere ultra id, quod debemus, & nihil inde Mercedis justæ, id est, propriè si dictæ, posse nos à Deo petere, nisi Deus pacto liberali, id est, gratuito uti in proximè sequentibus scribit, nobiscum voluisset convenire; talia quippè hæc sunt, quæ omne Meritum propriè sic dictum ab operibus humanis auferunt, & non nisi gratiam Dei sume commendant.* Si namq; quod porro tanquam ex Aug. sententia ad hoc testimoniū notat Bell. ex *Creatione sumus Dei mancipia*, si velit, posset nos absque ullius præmii respectu ad opera

quævis obligare, *quæcunque etiam illi placuerint*; quale, quæso, Meritum habebit locum, præsertim quia nulla planè proportio est inter laborem nostrum vel opera & æternâ Beatitudinē, quæ, ut qualitercunque inæqualitas & dissimilitudo per aliquam comparationem explicetur, tantum à se invicem distant, quantum à terrâ Cælum, & universum Mare ad guttam aquæ. Et dum ulterius dicitur & scribitur à Bellarmino, & ita quidem, quali adhuc Mens Augustini exprimeretur, Christum velle nos hanc conditionem nostram agnoscere *ad conservandam humilitatem*, egregiè iterum sententiæ Evangelicorum illustrandæ inservit, quæ dum omnia, id est, secundum Augustini verba paulò ante laudata, principium, medium & finem soli Gratiæ & Misericordiæ Dei adscribit ex vero & debito, conducit id quam maximè ad veram Humilitatem Deo exhibendam, sicut è contrario Meriti propriè dicti & respectus & imaginatio facillimè in animo hominis spiritualemente superbiam potest generare, ita ut Vita æterna loco Mercedis debitæ à Deo reddenda postuletur, quem scopulum omni ex parte periculosum humiles Evangelici Fide Gratiæ Dei & Christi Meritum adprehendentes præternavigant securi. De *coronâ Iustitiæ*, quam à Iudice iusto, nimirum Christo, Apostolus spe fiduciali plenus cum omnibus *Epiphaniam* Eius seriò desiderantibus expectavit, quam impertinenter hic obtrufit Bell. agerur suo infra loco, & ex August. ostendetur, utrumque prædicatum non tollere Dei gratiam, sed potius præsupponere, quod itidem ex jam dictis perspicuum est satis. Nunc illud porro restat monendum, quod ipsa August. verba, quæ ex opere sermonum de *Verbis Domini* Bell. adduxit, ad eò Merita operum humanorum non adstruant, ut potius omni modo destruant. Cæteris enim prætermissis, de quibus ex modò notatis facile potest fieri iudicium, illud tantum ex eis observasse sufficiat, si Deus ideò nobis Amicitiarum præmia repromittit, *ut nobis debita servitutis obsequia extorqueat*, extorqueat dico cum August. extorqueat, adhuc semel scribo, quia verbum hoc plurimè est hic significationis, & multum momenti in se comprehendit; quis dicet, August. potuisse in mentem venire respectum alicujus Meriti propriè sic dicti apud eos, quibus servitium est extorquendum per vim quandam moralem, quæ mentis non bene moratæ est indicium, quod Pater S. porro docuit in proximè sequentibus ibidem, indicans, cur Deus hoc servitium extorqueat, ideò nimirum, *ut quos nolle servire conspicit sponte, suorum Beneficiorum promissionibus possit invitare, & quorum voluntates à se alienas compescit, eorum mentes præmiorum liberalitatibus constituat suas*. Nam, ita pergit Doctor augustissimus, *Vnde frequenter aut invitat præmio, aut terret supplicio, nisi ut consilio Benignitatis à se formato consulat homini, redempto provideat; ut, qui non terretur supplicio, invitetur præmio, & quem metus à factis revocare non possit, benignitas profit Promissionum?* Ad dantur cætera, & sententiæ Evangelicorum, ex his quidem perspicua latet, adhuc magis illustrabitur. Illud etiam non insuper habendum, quod Augustinus alibi, *Esthio* observante, quando hujus testimonii facit mentionem, & quidem in opere *Quæstionum Evangelicarum*, pro servis inutilibus habeat *supervacuos*; unde itidem non ineptè argumentum aliquod posset desumi contra operum humanorum Merita propriè sic dicta, si porro hoc negotium esset ex August. autoritate urgendum. Commendatur quoque Lectori piè curioso, & diligenti sacrarum literarum scrutatori, elegans observatio celeberrimi Argentiniensis Theologi, D. *Sebastiani Schmidij*, quam non ita pridem in peculiari super hoc dictum Exercitatione, ansâ ab Illustri *Heinsio* præbitâ, proposuit, ex locis utriusque Testamenti parallelis ostendens, non tam inutilem, quàm servum *nequam* in his Christi verbis describit, qui Domino non modò nullum ferat commodum, sed è contrario etiam non parvum inferat damnum, additâ sufficienti contra *Maldonatum* responsione, qui omisâ Augustini autoritate, tanquam Evangelicis inserviente, aliam inivit rationem, operum bonorum Merita ex his Christi verbis quasi per vim extorquendi.

I. II. c. 39.

Fascic.
Disc. 17.
pag. 1063.

Ad alia nunc pergimus, & quidem in specie ad classicum Pauli locum, quo Vitam æternam dixit esse *Dei Gratiæ*, Evangelicis exinde contra Meriti propriè respectum in impetrandâ Vita æternâ satis nervosè argumentantibus; quibus dum Bell. opponit autoritatē August. citatis iterum tribus locis, placet ea evolvere & Lectori ostendere, ipsa August. verba non alia de causâ fuisse omisâ à Bellarm. quam ne Veritas Evangelica omnibus ponatur ob oculos. Primum autem testimonium indice Bellat. huc pertinens legitur in Epistolâ post centesimam quintâ sequentibus verbis; *Vbi invenimus vitam æternam nuncupari gratiam? Habemus apud magnificum gratiæ defensorem Paulum: Stipendium peccati Mors est, inquit, Gratiæ autem Dei Vita æterna in Chr. Jesu Domi-*

Domino nostro, Vide, obsecro te, in quantâ brevitate, quàm vigilanter Verba posuerit, quibus diligenter consideratis, hujus Questionis aliquantulum dilucescat obscuritas. Cum enim dixisset, stipendium peccati mors est, quis non congruentissimè & consequenter addere judicaret, stipendium Justitiæ Vita æterna? Et verum est, quia sicut merito peccati tanquam stipendium Mors redditur, ita merito justitiæ tanquam stipendium Vita æterna. Aut si mollet dicere justitiæ, diceret Fidei, quoniam Jultus ex Fide vivit. Unde etiam & Merces appellatur plurimis sanctarum Scripturarum locis; nusquam porò dicta est Merces Justitiæ vel Fides, quia justitiæ vel Fidei redditur Merces. Quod autem Merces est operanti, hoc est militanti stipendium. Sed Apostolus adversus elationem, qua usque adeo magnis (alii legunt, magis) tentat irrepere, ut & sibi propter ipsam dicat datum Sathane Angelum, à quo colaphizaretur, ne verticem præsumptionis erigeret. Adversus erò hanc elationis pestem vigilantissimè militans inquit, stipendium peccati Mors est. Rectè stipendium, quia debetur, quia digne retribuitur, quia merito redditur. Deinde ne Justitiæ de humano se extolleret Merito bono, sicut humanum meritum malum non dubitatur esse peccatum, non à contrario retulit, dicens, stipendium Justitiæ Vita æterna, sed, Gratia Dei, inquit, Vita æterna: & hæc ne præter Mediatorem aliquâ alia via quæreretur, adiecit, in Christo JESU Domino nostro. Tanguam diceret, Audito, quod stipendium peccati mors sit, quid te disponis extollere? ò humana, non Justitiæ, sed nomine Justitiæ superbia planè, quid te disponis extollere, & contrariam Morti vitam æternam tanquam debitum stipendium flagitare? Cui debetur Vita æterna, vera est justitiæ, si vera est justitiæ, ex te non est, desursum est, descendens à Patre Luminum. Et haberes eam, profecto accepisti. Quapropter, ò homo, si suscepturus es Vitam æternam, Justitiæ quidem est stipendium, sed tibi Gratia est, cui gratia est & ipsa justitiæ, tibi enim tanquam debitum redderetur, si ex te tibi esset justitiæ, cui debetur. Secundum indice eodem Bellarmino est ex Enchiridio ad Laurentium, ubi hæc habentur: Stipendium pro opere militiae debitum redditur, non donatur, idè dixit, stipendium peccati Mors est, ut mortem peccato non immerito illatam, sed debitam demonstraret. Gratia verò, nisi gratis sit, gratia non est. Intelligendum est igitur, ipsa etiam hominis bona Meriti esse Dei munera, quibus cum Vita æterna reddatur, quid, nisi Gratia pro gratia reddatur? Tertium aliquanto prolixius est ex opere de Gratia & libero Arbitrio, quod tamen hoc negotium egregie illustrat, & omnino confectum sistit, ubi sic ad mentem Apostolicam scribit Doctor augustissimus: Si Vita æterna bonis redditur operibus, sicut apertissimè dicit Scriptura, quomodo Gratia est Vita æterna, cum Gratia non operibus reddatur, sed gratis datur, ipso dicente Apostolo? An forte Vitam æternam non dixit Gratiam Apostolus? Imò, sic dixit, ut omnino negari non possit, nec intellectuorem acutum, sed tantummodo intentum desiderat auditorem. Cum enim dixisset, stipendium peccati Mors est, continuo subdidit, Gratia autem Dei est Vita æterna in Christo Jesu Domino nostro. Ista ergò Questio nullo modo mihi videtur posse dissolvi, nisi intelligamus, & ipsa nostra bona opera, quibus æterna redduntur Vita, ad Dei Gratiam pertinere, propter illud, quod ait Dominus, Sine me nihil potestis facere &c. Itaque Vita bona nostra nihil est aliud, quàm Dei gratia, sine dubio & Vita æterna, que bona vite redditur, DEI est Gratia: & ipsa enim gratis datur, quia gratis data est illa, cui datur. Sed illa, cui datur, tantummodo Gratia est; hæc autem, que illi datur, quoniam ejus est premium, Gratia est pro gratia, tanquam Merces pro justitiæ, ut verum sit, quoniam verum est, quia reddet unicuique Deus secundum opera ejus. Et capite sequenti, Cum prius dixisset, stipendium peccati Mors est, merito stipendium, quia militiae diabolice Mors æterna tanquam debitum redditur; ubi cum posset dicere, & rectè dicere, stipendium Justitiæ Vita æterna, maluit dicere, Gratia autem Dei est Vita æterna, ut hinc intelligeremus, non Meritis nostris Deum nos ad Vitam æternam, sed pro Miseratione suâ perducere &c. Plura ibi in antecedentibus & sequentibus leguntur huc pertinentia, verum hæc possunt sufficere ad mentem sancti Patris ritè intelligendam.

Equidem negari non potest, aliqua in his August. verbis occurrere, quæ Bellarm. & Papæorum sententiæ de Meritis operum bonorum videntur aliquatenus favere. Sed ubi totus attenditur ubique textus, nec unum ab altero divellitur, cætera que hypothefes Augustinianæ unâ in considerationem trahuntur, de quibus non parçè hæctenus est actum, & porò quoque in Questionibus contra fiduciam & dignitatem meritorum ex eodem Augustino contra Bellarminum agatur, Lector veritati, non partium studio additus facile perspicier, multo magis Evangelicos, quàm Papæos ad ejus tanquam testis & confessoris auctoritatem posse provocare, quod ab Evangelicis Doctoribus dudum ad oculum contra partis adversariæ objectiones est demonstratum.

vid. Höp-
ner. de Ju-
stif. p. 923.
& Feurb.
in Synt.
p. 235.

tum. Nostrum nunc officium est, ad eam in primis respondere, quæ Bellarminus ex his testi-
moniiis ad sui erroris confirmationem desumpsit, ut adpareat, tum hic etiam frustra la-
borasse, imo potius nobis arma suppeditasse, ad ejus informationem; & ulteriorem
ex Augustino refutationem. *Duo* autem urget Bellarminus Evangelicis contraria, uti
putat. *Unum* est, quod observavit Augustinus, potuisse Paulum recte dicere, *Stipen-
dium Iustitiæ est Vita æterna*, quam confessionem existimat Bellarmin. *jugulare penitus*
causam Evangelicor. Sed salva res est, obtinet adhuc per Augustini auctoritatem
causa Evangelicorum vel potius DEI & Ejus gratiæ contra bonorum operum Meri-
ta, & obtinebit porro, tandemque triumphabit. Nimirum, non inficiantur Evan-
gelici, Apostolum potuisse & recte quidem dicere, *Stipendium Iustitiæ Vita est æterna*,
vocabulo stipendii in latiori significato hic usurpato, quo Deus fideliter & constanter
in Ecclesia militante pugnantibus loco stipendii gratiosè promittit Vitam æternam,
vocabulo Iustitiæ etiam intellecto de *Iustitiæ Fidei*, uti ipsemet August. satis clarè su-
am & Apostoli mentem explicavit, quia tamen aliter visum est Apostolo, & ejus ex-
emplo etiam August. quidni nobis quoque placeat modus loquendi Apostolicus,
& ita quidem, ut quem vis alium ab eo ablutentem jure reprobemus, & tanquam
minus idoneum è *Grammatica Spiritus Sancti* repudicemus? Causa certè, ob quam ju-
dice Augustino Paulus hanc Vitæ æternæ definitionem nobis commendavit, tanti est
momenti, ut non possimus non æstimare maximi, quod paulò ante indicatum est,
dum nemini è scriptura ignotum est, ve esse potest aut debet, quod Deus superbis
quibuscunque, cur non etiam, & quam maximè quidem spiritualiter superbis &
meriticolis, vel quod sequens docebit Controversia, in operum bonorum Meritis
fiduciam ponentibus, resistat, humilibus autem, nullumque sibi Meritum adscri-
bentibus, sed omnem fiduciam in solo Christi Merito locantibus, largiatur Gra-
tiam, non modò temporalem, sed æternam quoque. *Alterum* Bellarmini ex his
Aug. textibus observatum pro nobis, non contra nos est, si ex antecedentibus repe-
tatur, quo sensu & vocabulum Meriti & Mercedis occurrat apud Augustinum, utro-
bique non sine Gratia divinæ respectu, quæ, uti ex claris Augustini verbis vidimus, &
primum, & medium, & ultimum occupat locum in negotio Justificationis & salutis
æternæ, quod iteratò observasse omnem tollere potest icrupulum, qui impedimento
videtur esse, ne Veritati satis manifestæ manus promptè præbeantur. Intuper acce-
dit, quod Bellar. omisit, omittendum minimè, August. in primis notari voluisse ver-
ba Pauli, quibus hanc æternæ Vitæ definitionem ulterius maxima cum emphasi illu-
stravit, ubi eam dixit esse Gratiam Dei, *in Christo Iesu Domino nostro*, tanquam Media-
tore, qui solus à DEO Patre omnibus in se credentibus per Gratiam consequentem
factus est *Iustitia, Sanctificatio & Redemptio*, id est, prout hæc abstracta pro concretis usur-
pantur, Justificator, Sanctificator & Redemptor, in quo solo & per quem solum sumus
justi, sancti & in Spe vivæ ac indubia salvi in æternum. Sunt quoque verba notari
dignissima, quæ secundo inferuit testimonio Augustinus, *Gratia, nisi gratis datur, non
est Gratia Dei*. Dixit autem Paulus expressè & absque omni ambiguitate, *Vitam æternam
est Gratia Dei*. Ergò, quam Augustinus necesse nos docuit consequentiam intal-
libilem & per se ex antecedentibus fluentem, *gratia datam*, & quod ulterius exinde
deducitur, omnem meritò quoque dicti, omnem Mercedis, prout communiter hoc
vocabulum usurpatur, & sic quoque stipendii propriè militaris & ex Iustitia debiti
respectum omninò tollentem, ne quis etiam fidelis, & Fidem per opera charitatis
Deo & proximo debita demonstrans quidquam sub nomine Mercedis à Deo aut deo
postulare, sed omne, quod habet, & porro accepturus est, soli Gratia & gratuita
promissioni gratis adscribat, semperque in omnibus Deo Largitori benignissimo se
debitorem esse agnoscat. Neque etiam illud sine observatione singulari prætermi-
tendum, quod idem Augustinus ibidem Vitam æternam non simpliciter dixit
Gratiam DEI, prout Paulus scripsit, sed cum emphatica additione *Gratiam
pro gratia* à Johanne Baptistâ solenniter prædicatam, intelligens & Fidei Donum,
quod à Gratia est, & Munus Vitæ æternæ, quod Fidei constantiæ tanquam Gratia su-
perabundans vis factæ Promissionis itidem gratuita datur, ita ut nullum omninò Me-
ritum, nulla Merces, nullum planè stipendium, sensu anted. hic possit habere locum,
seder gratia Dei ubi vis obtineat primatum sola. Tandem eleganter finit hanc Controv.
Aug. & nos cum illo, quoad sensum oraculi Apost. de quo hæc tenus, *Deum non Meritis
nostris nos ad Vitam æternam, sed pro Misericordie suæ perducere*. Ita Aug. constans Veritatis
Evang. post Ap. testis & confessor, ita post utrumque & cum utroq. Evangelici. Qui
alia

alia methodo, nempe per viam Meritorum & operum suorum, quærunt Cœli portam videant, ne à Throno Misericordiæ, quam neglexerunt, ad Thronum Justitiæ abelegantur, coram quo num Justitia Pharisæico-Papæa sit valitura, tristis olim docebit eventus, non nisi Fide verè præcavendus. Alia essent, quæ porro ex citatis Augustini testimoniis possent ad negotium præsens adplicari, sed habenda est Lectoris ratio, ne ejus patientia trahatur in abusum. Puto autem, satis constare, quàm imprudenter, si non impudenter, etiam in hac Quæstione versatus sit Bellarminus, dum Lectori iterum voluit persuasum, Augustinum à suis stare partibus, qui tamen, uti hæctenus est ostensum, totus noster est.

Sequitur aliud ex eodem Paulo testimonium, ex ejusdem Augustini auctoritate vindicandum, quo Apostolus rejecta *legali Justitia*, quam se pro *stercoribus* habere scripsit, eam se sectari Justitiam gloriatur, quæ sit ex *Fide IESU Christi*, Bellarmino observante, Augustinum per Justitiam legalem intellexisse *Justitiam operum*, quæ fecerant in Judaismo. Cum verò iterum ipsa Augustini verba adducere inconsultum duxerit Bellarminus, sensum eorum tantum ad suæ opinionis tenorem exptimens, ut, quæ vera sancti Doctoris super hoc Apostoli testimonio fuerit Sententia, Lectori constet, juvat ipsa ex opere de peccatorum meritis & remissione huc adscribere: *Quid de Zacharia & Elizabeth laudabile dictum est, quod non in eo comprehendatur, quod de se Apostolus, cum nondum in Christum credidisset, professus est? Dixit enim, se secundum Justitiam, quæ in Lege est, fuisse sine querela. Hoc & de illis ita legitur, Erant autem ambo justii ante Deum incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela. Quia ergo, quidquid in eis erat Justitiæ, non erat ad homines simularum, idèò dictum est, ante Deum. Quod autem de Zacharia & ejus conjugè scriptum est, in omnibus mandatis & justificationibus Domini, hoc ille breviter dixit, in Lege; non enim alia Lex illis, alia istis fuit ante Evangelium, sed una ac eadem, quam legimus datam Patribus eorum per Moysen, secundum quam sacerdos etiam erat Zacharias, & visce sua sacrificabat. Et tamen Apostolus, qui similiter tunc Justitia præditus fuit, sequitur & dicit: Quæ mihi lucra fuerunt &c. Tantum ergò longe est, ut propter illa verba Zacharias & Elizabeth sine ullo peccato credamus perfectam habuisse Justitiam ut nec ipsum Apostolum ad ejusdem regule summam arbitremur fuisse perfectum, non solum in illa Legis Justitia, quam istis habuit similem, quam inter damna & stercorea deputat in comparatione Justitiæ eminentissimæ, quæ in Fide Christi est, verum etiam (Notate hoc Bellarmini defensores) in ipso quoque Evangelio, ubi & tanti Apostolatus meruit principatum, quod dicere non audeam, nisi ei non credere nefas ducerem. Et ubi sequentia adduxit Apostoli ex eodem loco verba, subjunxit, Ipse se confiteretur nondum accepisse, Justitiam videlicet ex operibus perfectam, nondum esse perfectum in plenitudine Justitiæ, quam adipisci dilexit in Christo, sed adhuc secundum intentionem sequi, & præterita obliviscens, in ea, quæ sunt ante, extendi, ut non verimus, etiam ad ipsum pertinere illud, quod ait alibi, & si exterior homo noster corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem; quamvis jam esset perfectus viator, & si nondum erat ipsius iimeris perfectione perventor. Denique tales vult secum in ipso cursu comites rapere, quibus continuo subjungit & dicit, Quot quot ergò perfecti, hoc sapiamus &c. Ignosce Lector prolixitati omnino necessariæ, ut hic etiam fraus Bellar. patefieret, ac ex integro textu mens August. cognosceretur. Essent quidem in his Augustini verbis aliqua porro observanda, sed quia directè ad præsens non pertinent Institutum, nunc quidem omittuntur. Hoc tantum noteretur, quod dum Bellarminus monet, Augustinum Justitiam Christianorum non solum non velle adpellari detrimenta vel stercorea, sed eminentissimam vocare Justitiam, & hic aliquod crimen falsi committere, & Patri augustissimo, quin imò simul Apostolo Divinitus illuminato peregrinam & alienam omnino adscribere sententiam, ut potè quorum uterque hoc sublime Elogium eminentis Justitiæ adscripsit non Justitiæ operum, de quâ præsens agit Quæstio, sed de Justitia, quæ est in Fide Christi, uti verba sonant expressissime. Cætera Augustini testimonia, quæ Bellar. ex opere contra duas Pelagianorum Epistolas, uti etiam de Gratia & libero Arbitrio lectori commendavit, sed absque capitis mentione, prolixius investigare & excutere non vacat, præsertim quia locus antecedens sancti Patris mentem circa Apostoli Sententiam ritè intelligendam sufficienter exhibuit; ex opere Sermonum verò de Verbis Apostoli secundum ordine testimonium, quod nomine Evangelicorum adduxit Bellarminus, satis doceat, quid de operum bonorum Merito statuerit Doctor augustus, nunquam à Paulo discedens, sed diligenter ejus semper vestigia premens.*

II. Cor. 4.

Ad

Ad hoc autem, sicuti ad reliqua Augustini testimonia, quibus Evangelici contra hæc Merita uruntur ac ostendunt, tum hic quoque inter testes Veritatis Evangelicæ adnumerandum, quia Bellarminus generale tantum reponit responsum, ac duo alia ex eodem Augustino loca opponit, præterquam quod illa itidem clarè mentem Evangelicorum exponant, si ea nimirum attendantur, quæ jam prolixè sunt observata, victas quasi manus præbet, non habens in promptu, quod contra veritatem omnino locum. Certè monitum illud generale, quo Augustinum dicit damnare tantum Merita, quæ sint *ex nobis sine DEI gratia*, per se cadit, si cogitur, quam sibi & aliis fidelibus adscripsit perfectionem, vel potius *imperfectiorem*, cui Merita propriè sic dicta a describere, præsertim quoad æternæ Beatitudinis impetrationem, quantæ sit Vanitatis & Superbiæ, nemo non videt. Et dum ad testimonium ex Epistola superius citata ibi simul prolixè explicatum, præter alia notat, Augustinum, cum dicit, *nobis non debere Vitam æternam ex Merito, sed gratis donari*, locutum esse de homine, *qualis sit sine DEI gratia, & qui solis viribus suis operetur*, sancto Doctore tam absurdam adtingit opinionem, quâ non poterat excogitari absurdior, quin imò absurdissimam, quasi Deus gratis donet Vitam æternam, qui sit extra Statum Gratiæ, ac sine Fide operum bonorum studio occupetur. Absurdum absurdorum absurdissimum!

CAPUT SEPTIMUM & seqq.

DE

Fiducia Meritorum & mercedis.

Quæ hæctenus contra operum bonorum Merita ex Augustini Sententia uberius sunt adducta, insigniter per illam observationem possunt muniti, quam supra ex ipsomet Bellarmino notavimus, adpositissimè in rem nostram scribente, Augustinum *solere quemlibet actum bonum, ratione cuius aliud quid accipimus, Meritum adpellare*, illa præsertim commendatâ Augustini Epistolâ, ex quâ hæctenus Pauli quoque Mentem satis perspicuè didicimus, post etiam contra semetipsum monente, *Meritum adpellare Patres in Questione hæc quodlibet opus bonum, ratione cuius gratia vel auxilium homini datur*, laudato iterum Augustino & citato opere ejus contra duas Pelagianorum epistolas ad Bonifacium, undè itidem non pauca hæctenus in gratiam Veritatis Evangelicæ testimonia hausimus & ad falsis adversariorum glossis vindicavimus. His ita præsuppositis & probè ponderatis facile nunc erit respondere ad ea, quæ idem Bellarminus porro ad fiduciam in Meritis ponendam & intuitam mercedis commendandum ex eodem Augustino adduxit, brevissimo Examine expedienda. Et quidem de *fiducia Meritorum* lubricè, imò etiam contradictoriè scribit, *præcipuam spem & fiduciam esse quidem in DEO ponendam, aliquam tamen in Meritis etiam poni posse, addita distinctione, aliud esse fiduciam nasci ex meritis, aliud fiduciam esse ponendam in Meritis. Possè enim fieri, ut quis exiguam ac nullam planè fiduciam in propriis constituat Meritis, eò, quod non certò sciat, an vera habeat Merita, & tamen veris magnisque Meritis abundet, & ex illis fiduciam in ipso erga DEUM maxima oriatur. Quomodo enim quæso fiduciam in homine ex Meritis posito, sed minimè concessio, quod sint, imò quod vera & magna sint, ad DEUM potèst oriri, si non certò sciat, quod habeat Merita, eaque vera? Tres item Propositiones, quibus suam complectitur Sententiam Bellarminus, ita sunt comparatæ, ut una tollat alteram, neque simul stare possint. Prima hæc est. *Fiducia Sanctorum, quam in Deo constituunt, non ex Fide solâ, sed ex bonis etiam nascitur Meritis, atque ideo summo Studio Merita sunt querenda, ut apud Deum habere possimus fiduciam.* Atque his verbis ipsissima exhibetur Sententia Papæorum, quam Bellarminus hic ivit defensum, partum ex scripturâ, partum ex Patribus, ex quorum numero Augustinus hæc scripsit: *Ille sperat, qui bonam gerit Conscientiam. Quem verò mala pungit Conscientia, retrahit se ex spe, & non sibi sperat, nisi damnationem. Vt ergò speret regnum, bonam habeat Conscientiam, credit & operetur.* Et alibi, *Quæ spes est, nisi de Conscientia aliqua bonitate?* Subjungit Bellarminus, obijciat fortè quis, quod his, quæ dicta sunt, repugnare videatur, quod Augustinus & ex eo Lombardus dicunt, *spem Charitate priorem esse, & posse sine eâ consistere, contra autem Charitatem sine spe esse non posse.* Nam si hæc vera sint, illi d verum esse non poterit, quod supra dictum est, *spem ex charitate & bonis operibus nasci.* Sed facilis est responso, inquit Bellarminus, nam spes oriatur ex charitate, & ex ipsa spe oriatur charitas & amor enim beatitudinis, ut rei nobis convenientis, omnem præcedit Spem.*

Præf. in Pf.
31.
Serm. 16.
de V. Ap.
Tr. 83. in
Joh.

Spem. *Non enim speratur, quod non amatur*, ut Augustinus docet in Enchiridio ad Laurentium. Itaque in homine nondum conciliato primus ad Salutem motus est Fidei, inde sequitur amor & desiderium Beatitudinis jam cognita per Fidem. Post amorem sive cupiditatem beatitudinis sequitur in homine spes consequenda ejusdem beatitudinis, sed ea spes non immediate, sed mediate respicit beatitudinem. Non enim, qui nondum cum Deo rediit in gratiam, nec ulla habet bona Merita, immediate potest sperare beatitudinem; illa enim non spes esset, sed praesumptio, ut Augustinus dicit in locis supra citatis, sed sperat, reconciliationem & bona merita per Dei misericordiam se habiturum, & per haec tandem perventurum ad beatitudinem. Post hanc spem, quam Theologi vocant informem, vera sequitur charitas & operatio bona; inde autem roboratur spes, & fiducia incipit appellari, quae respicit immediate beatitudinem. Haecenus prima Propositio, quae quia aliquando durior, ideo eam sequentibus emollire studuit, ex quibus secunda haec est: *In bonis Meritis, quae vere & salia esse compertum sit, aliqua collocari potest fiducia, modo caveatur superbia*. At qui possit cavere superbia, ubi praecedat fiducia? Ea nimirum est natura cordis humani, ut, si habeat in se, vel inveniat aliquid, in quo possit ponere fiduciam, difficillimum videatur, si non omnino impossibile, non simul extolli ac superbum esse. Sed quam inanis est fiducia, quam inutilis inde superbia, si non certo sciat homo, vera se merita habere, quod supra Bellarminus agnovit. Exuat igitur homo posita hac incertitudine fiduciam, & non erit super, cujus ratione superbiat, aut se erga Deum extollat. Verum non opus est huc contra Bellarminum, quia ipse met *tertia* Propositione utramque antecedentium sibi contrarius repudiavit, Evangelicorum sententiam illustri testimonio confirmans, quae haec est: *Propter incertitudinem propriae justitiae & periculum inanis gloriae tutissimum est, fiduciam totam in sola Dei misericordia & benignitate reponere*. Equidem simplicioribus hac Propositione Bellarminum imponere, dura molliter enuntiantem, Hopsnerus noster observavit non male atque ostendit, alium in vocabulo *Misericordiae* sensum latere, quam putatur a plerisque Lectoribus: sed nihilo tamen minus nuper ex eodem peculiari Commentariolo vernaculo edito D. Sebastianus Schmidius, Argentinenfis Theologus ostendit, male agi cum Evangelicis, quod tantas a Patribus ob religionem cogantur sustinere persecutiones, cum tamen hoc ipsum professionis eorum publica sit fundamentum, quod Bellarminus hac Propositione inculcavit, si verba nimirum sumantur eo sensu, qui in hac quaestione primario respiciendus est, ac nisi ambiguitate Lectoris animus circumducatur, quod a Scriptore controvertiarum veritatis studiose jure meritoque debet esse quam maxime alienum. Singula certe in hac Propositione verba habent aliquid momenti, cujus respectu utraque Propositionum antecedentium videtur prudentibus suspecta. Nam si propria justitia est incerta, & nemo hominum certo scit, an vera habeat merita, qualis erit fiducia, quae incerto nittitur fundamento? Si praeterea, posito etiam, quamvis iterum non concessio, certa sit justitia hominis, & tamen fiducia, quae in ea ponitur, periculum post se trahit *inanis gloriae*, annon ad praecavendum hoc periculum, quod certo certius aeternam post se trahit damnationem, homo aeternae salutis cupidus talem fiduciam in prima quod ajunt herba tenetur suffocare? Et si insuper non modo tutius est, qui tamen comparativus sufficiens esse posset, ut in aliquam veniret considerationem, sed omnino tutissimum in superlativo gradu, qui altiore non habet, totam in sola Dei misericordia & benignitate fiduciam reponere, cur aegrius id fertur in Evangelicis, qui in negotio salutis aeternae non tutiorem modo, sed *tutissimam* ipsis fatentibus Antagonistis sectantur viam, & repudiato proprii ex operibus meriti respectu omnem in sola Dei misericordia ponunt fiduciam, utpote cui secundum Augustini observationem iterata repetitione hic dignissimam in justificatione & salvatione *initium, medium & finem* adscribunt mente gratam, nihil agnoscentes in se, propter quod inani gloria coram Deo se extollere ac superbire possint. Quia vero ad hujus Propositionis Expositionem illustrandam & confirmandam praeter aliquot scripturae dicta etiam aliqua Patrum testimonia, & nominatim Augustini adducit, placet illam huc adponere, quod etiam necessitas videtur requirere, ne cum larvis pugnemus, aut sententiam minus rite perceptam impugnemus. Ita autem Bellarminus: *Non ita Propositio est accipienda, quasi non sit homini totis viribus studendum operibus bonis, aut non sit in eis confidendum, quasi non vera sit justitia, aut judicium Dei sustinere non possint; sed hoc solum dicimus, tutius esse, meritorum jam partorum quodam modo*

de Justit.
p. 807.

Kkkkk

modo

modo oblivisci, & in solam DEI misericordiam respicere, tum, quia nemo absque revelatione certo potest scire, se vera habere merita, aut in eis ad finem usque perseveraturum, tum quia nihil est facilius in hoc tentationis loco, quam ex operum bonorum consideratione gigni *superbiam*. Atque sic, quod in ipsa propositione visus fuit Bellarminus dextrâ manu Evangelicis præbuisse, ne mutatus à se ipso videatur, qualem se in antecedentibus exhibuit propositionibus, aut in castra hostium se contulisse, sinistra iterum quoad partem potissimam eripuit, superlativum in *comparativum* mutans gradum, quod tamen ex antedictis adhuc esset tolerabile, nisi fiduciam in operibus fiduciâ in solam DEI Misericordiam contra tenorem tertiâ hujus propositionis e primâ & secundâ adjunxisset, quæ tamen habere non potest locum, si *tutissimum* manet, totam in solâ Dei Misericordia ponere fiduciam, dum si tuta præminus tutis apud prudentes meritò valent, si comparativus insuper prævalet simpliciter positivo, multo magis & quam maxime id, quod ex judicio prudentum præ omnibus aliis videtur *tutissimum*, in re non nihili, non minoris, sed maximi ex omni parte momenti, eligendum est omnino præ his, quæ periculum aliquod ac inevitabile damnum post se trahunt. Nunc quale sit Augustini testimonium, quo propositionem hanc tertiâ ita perversè expositam confirmare nititur Bellarminus, videamus, ut ad quas pertineat partes sanctus Pater, constet. Adducitur illud ex opere contra

1. 10. c. 30. Cresconium verbis sequentibus: *Ad existimationem hominum magna testium, qui me noverunt, suppetit copia, ad DEI vero conspectum sola conscientia, quam contra vestras criminationes cum intrepidam geram, non me tamen sub oculis Omnipotentis audio justificare, magisque ab illo effluentem misericordia largitatem, quam summum iudicis examen expecto.* Hoc adduxit Bellarminus, quasi pro se.

Mirum verò, quod, cum alias & ex Scriptura & ex Patribus ea etiam soleat adducere, quæ Evangelicis ad suæ sententiæ confirmationem videntur interservire, atque ad ea pro viribus respondere, contra morem hic illud omiserit, quasi nihil vel in scripturâ, vel in Patribus legeretur, quod hanc meritum fiduciam posset infirmare. Nos iterum ex instituto solliciti de Augustino sumus, ea visuri, quæ hanc meritum fiduciam ab homine fideli procul abesse jubent. Is igitur in nunquam satis laudato opere de *Civitate DEI*, inter alia mentionem faciens Enosi, qui ex Setho

1. 15. c. 18. *tunc ceptum fuerit invocari nomen Domini*, interpretationem Græcam, maxime tum in Ecclesia habitam secutus, scripsit de eo; *Hic speravit invocare Nomen Domini*, addito, hoc satis ostendi, quod non in seipso spem ponere debeat homo. Maledictus enim omnis, sicut alibi legitur, qui spem suam ponit in homine; ac per hoc, nec in se, ut sit civis alterius civitatis, &c. Ita in enarratione Psalmi post quadragesimum secundi vel secundum Ebræostertii, egregia habet contra operum fiduciam monita, hominem sic adlocutus: *Planè time, si iustum te dicis, si non habes illam ex alio Psalmo vocem, ne intres in iudicium cum servo tuo. Quare? Misericordia tua mihi opus est. Nam si iudicium exhibueris sine misericordia, quomodo? si iniquitates observaveris Domine, quis sustinebit? Ergo, si non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens, quia quicumque hic vivit, quantumlibet iuste vivat, ve illi, si cum illo in iudicium intraverit Deus! Noli ergo contendere iudicio, da operam esse iustum, & quantumcunque fueris, confitere te peccatorem; semper spera misericordiam, & in istâ humili confessione securus adloquere turbantem te & tumultuantem adversus te animam tuam: Ut quid tristis es anima mea, & ad quid conturbas me? Forte in te volebas sperare. Spera in Dominum, noli in te. Quid enim es in te, quid es dete? Ille sit finitas in te, qui suscepit vulnera propter te. Quot verba, tot fere sunt argumenta, eaque ponderosissima contra fiduciam Meritorum, quam qui vel in Davide, vel ad ejus mentem in Augustino fuisse putat, nã is sibi fingit somnia, aliter de hominibus iudicans, quam illi de semetipsis. Si liber meditationum agnosceret Augustinus, de quo tamen non plane nullæ sunt rationes dubitandi, posset is etiam suppeditare testimonium insigne, fiduciam Meritorum ex operibus annihilans. Quia verò aliquibus Patris Doctoribus non displicuit, cujus autoritate uterentur, neque nobis erit prohibitum ad hominem disputantibus, exinde aliquid in medium producere, ut ostendatur, autorem hujus libri, quem in scriptis Augustini versatissimum censent plerique, hanc Meritorum fiduciam non adprobasse, sed potius reprobasse, verbis sequentibus: *Omnis spes & totius fiducie certitudo mihi est in pretioso sanguine ejus, qui suffusus est propter nos, & propter nostram salutem. In ipso respiro, & in ipso confisus ad te pervenire**

venire desidero, non meam habens justitiam, sed eam, quæ est ex Filio tuo, &c. Non alia mente DEO se sistunt Evangelici, nec dubitant, quin hac fiduciali adprehensione Meriti ejus, qui solus potuit mereri, DEO placeant, qui humilibus gratiam promissit. Videant autem, quibus alia placet methodus, plenissimo nimirum Christi Merito sua etiam admiscere, id est, vesti novæ & perfectæ laciniam veterem à pallio mendici adsuere, ac fiduciam in eis ponere, quam accepti sint futuri DEO & meritissimo Salvatore Christo, qui sancto confirmavit juramento, se uti Nominis, ita etiam Meriti unice sufficientis gloriam nemini concessurum.

Neque vero hæc solum testimonia Augustinum exhibent testem & confessorem veritatis Evangelicæ, sed ea etiam, quibus cum Bellarminus ad suas partes trahere conatus est, partim ad primam, partim ad tertiam propositionem bene conceptam, sed pessimè explicatam. Ad primam quidem duplici usus testimonio, quorum tamen unus idem que sensus est. Præsertim è præfatione in Psalmum trigésimum & primum vel secundum Ebræos secundum ostendit discrimen inter conscientiam fidelium bonam & malam infidelium, & quâ ratione spes & fiducia nascatur ex illâ, desperatio autem ex hac, addita insuper cauta, cur Paulus in recensione virtutum Theologicarum posuerit spem in medio inter Fidem & Charitatem, quæ omnia & singula in antecedentibus & sequentibus sufficienter docent, quomodo citata à Bellarmino sancti Doctoris verba ritè sint capienda. Quæ antequam producantur, juvat in genere hic præmonere, quod Hülsemannus noster antehac contra Hagerum Lo. Disp. 1. jolitam in defensione doctrinæ Evangelicorum, ad oraculum de fiducia fidelium Apostoli Johannis, ex Ambrosio Catharino & Iohanne Fero observavit, posse solidam consolationem concipi ex bona conscientia peccati voluntariè non commissi, aut certè per pœnitentiam deleti, nempe, pro modulo aut qualitate hujus causæ, & quantum solet bona conscientia ad solidam conferre consolationem, quantum in se est. Fasemur utique, ita porro Doctor Ecclesiæ hujus seculi laudatissimus, nomine non suo, sed omnium verè Evangelicorum scribit, conscientiam bonam esse maximam justitiæ habitualis partem, ac per hoc infallibilem notam, quod sumus iustificati, juxta illud Apostoli: Iustificati per fidem, pacem habemus cum DEO, &c. Rom. 5. Sed negamus, conscientiam de nullo peccandi proposito aut impenitentia illam esse justitiam, ob quam coram DEO & incondemnabiles reputamur; quia justitiam hanc oportet esse infinitam ob proportionem læsionis infinitam. Addit, est quidem conscientia bonæ objectum aut materia etiam justitia, sed inchoata tantum & imperfecta, quæ conscientiam non omninò tranquillat, nisi à posteriori, tanquam signum præcedentis peccatorum remissionis, quod Apostolus discretè falsus est, quando dixit: Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc sum iustificatus; innuens, oportere solidius esse fundamentum, ex quo hominis pendeat iustificatio, quàm hominis conscientiam, quæ etsi nonnunquam pura sit à proposito malo, à peccato tamen absolute nunquam est pura. Quapropter pro qualitate causationis suæ, nempe ut signum est, imo quatenus habitualement justitiam auget quoque & roborat, conscientia bona à Catholicis (Evangelicis) adseritur esse causa consolationis; verùm propter imperfectionem nequit esse illa justitia, ob quam à peremptorio DEI judicio absolvimur, sed justitia & sanguis Jesu Christi id est, quod conscientias nostras ab hoc metu & impuritate illa, ob quam iudicii metus nascitur, eo expurgat modo, quo sanguis hircorum purgabat levitas, nempe, non per infusionem habitus, sed per puritatis imputationem, quâ ratione in Epistola ad Ebræos declaratur, quanquam & sanctificationem adscribimus Christi sanguini, sed non hoc loco. Hæc observasse facillimum nunc erit, Augustini verba de bona & mala hominum conscientia ad liquidum deducere ac docere, nihil patrem augustum de eadem contra Evangelicos in gratiam fiduciæ ex aliquo operum Merito concipiendæ hic docuisse. Et ut verba ejus à Bellarmino citata eò melius intelligantur, placet aliqua ex antecedentibus & sequentibus in medium proferre. In antecedentibus hæc leguntur: Ipsa charitas bene operantis dat ei spem bonæ Conscientiæ; Spem enim gerit (forte, gignit) bona conscientia. Quomodo mala conscientia tota est in desperatione, sic bona conscientia tota in spe est, & erunt tria hæc, de quibus dixit Apostolus, fides, spes, charitas; & alio loco ipsa tria, sed pro spe bonam posuit conscientiam, scribens, Finis præcepti charitas est de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Atque post hæc sequuntur ea, quæ Bellarminus adduxit, nisi quod in ultima eorum parte aliquid omissum fuit

fuit minime omittendum. Ubi enim scripsit Augustinus, *Ut ergo speret regnum, bonam habeat conscientiam*, interseritur, *Et ut bonam habeat conscientiam, credat & operetur*, additur quoque, *quia quod creditur fidei est, quod operatur charitatis est*. Sequuntur hæc etiam. *Illo ergo loco à fide cepit Apostolus, alio ab ipsa charitate, modo nos à medio cepimus, ab ipsa conscientia & spe*. Qui vult, inquam, habere spem bonam, bonam habeat conscientiam. *A medio imus ad initium & finem, credat & operetur*. Egregia hæc sunt, quibus ordinem virtutum Christianarum ad mentem Apostoli explicavit, ostendens, quem respectum conscientia bona & inde concepta spes ad fidem & charitatem habeat, adeoque nec sine illa nec sine hac consideranda sit, præprimis quod fides necessario in hac serie primum occupet locum, spes verò & bona conscientia medium, ita ut, quamvis alio considerandi modo charitas præponatur, id tamen quoque fiat cum debito ad ipsam fidem respectu, spe utrobique in medio consistente, quæ observatio proximè in sequentibus inserviet.

Eadem ac iisdem ferè verbis scripsit Augustinus in opere Sermonum de verbis Apostoli, unde Bellarminus iterum aliqua excerpit, omittens potiora, quæ ad rem ipsam pertinent, hic omnino restituenda. Ita autem ibi inter plura sanctus Doctor, *incipit homo à fide, adde fidei spem*. Atque hic interseruntur, quæ Bellarmino sunt visa suæ parti inservire. Sequitur autem, *spei adde charitatem*. Et ubi hujus ordinis rationem ostendit, sequens monitum subjungit: *Vnusquisque ergo inspiciat se intus, adpendat se, probet se in omnibus factis suis, bonis operibus suis, quæ faciat cum charitate, non temporalem expectans retributionem, sed promissum DEI, faciem DEI*. Notanter dicit *promissum*, ut omne Meritum ex operibus, atque sic etiam fiducia, quam in illis vult poni Bellarminus, excludatur, atque solum super gratia promissionis, Merito Christi nixa, per fidem veram, spe non exclusa, conscientia ex operibus charitatis testimonium fidei præbente, & spei incrementum dante, adprehensa. Quia insuper eundem harum virtutum ordinem laudato in *Iohannem* tractatu inculcavit Augustinus, quod negare etiam non potuit adactus vi veritatis apertissimæ Bellarminus, de eo tamen fuit sollicitus, qua ratione Augustinum opponeret Augustino, ex *Enchiridio ad Laurentium* quædam producens verba, quibus putat demonstrari posse, charitatem spe priorem esse ac eam antecedere. Id autem sicut certo quodam modo posset concedi, & cum priori ordine conciliari, ita notandum est, hæc in terminis apud Augustinum non legi, prout à Bellarmino sunt citata. Quæ ibi leguntur, hæc sunt: *Qui rectè amat, procul dubio rectè credit aut sperat; qui verò non amat, inaniter credit, etiamsi vera sunt, quæ credit, & inaniter sperat, etiamsi ad veram doceantur pertinere felicitatem, quæ sperat, nisi & hoc credat ac speret, quod sibi petenti possit donari ut amet. Quamvis enim sperare sine amore non possit, fieri tamen potest, ut illud non amet, sine quo ad illud, quod sperat, non potest pervenire, tanquam si vitam speret æternam, quamvis non habeat, & non amet justitiam, sine qua nemo pervenit ad illam. Ipsa autem est fides Christi, quam commendat Apostolus, quæ per dilectionem operatur, & quod in dilectione nondum habet, petit ut accipiat, quærut ut inveniat, pulsat ut aperiat. Apertissimè justitiam, sine quâ nemo pervenit ad vitam æternam, nominat Pater Augustus fidem Christi, quæ per dilectionem operatur, non ipsa charitatis opera & concepta exinde merita, in quibus justitiam, & ex ea fiduciam poni jubent Papæ. Etsi verò videatur certo quodam respectu charitatem spei præponere, præter id tamen, quod ipse Bellarminus hunc amorem non refert ad ea charitatis opera, quibus homo justificatus fidem suam erga Deum & proximum declarat, *verum ad desiderium beatitudinis jam cognitæ per fidem*, de quo hic non agitur; ex supra non semel dictis repetendum est, quod sicuti spes & charitas sunt & dicuntur fidei filia, eo modo ut simul etiam sint & dicantur ejus comites & pedisequæ, ita spes etiam dicatur necessario adjunctam sibi habere charitatem, quia propriè loquendo quod speramus & expectamus, non possumus non amare, Amore tamen præcipuo ad eum, & propter eum ad proximum quoque derivato, à quo futura sperantur & expectantur, utpotè & promissa & singulari merito parta ac impetrata. Testimonium denique, quod ad tertiam Propositionem ex opere ad *Cresconium* laudavit Bellarminus, præterquam quod illud non decem, sed quatuor tantum libros habet, inque tertio legitur, ad præsens institutum impertinens est planè, utpote non de conscientia statu ad Deum, sed erga hominem agens, uti verba satis clarè docent, nobis autem non de hoc, sed illo jam sollicitis.*

Ut autem de altera etiam quaestione, quæ *intuitum mercedis*, adeoque operum bonorum Merita ad eam directa commendat, breviter aliquid addamus, notari debet, Evangelicos duce scriptura, & prævio quoque Augustino non negare, quod ex supradictis constat, Deum fidelibus vitam æternam sub Elogio mercedis promittere, sed talis, quæ non merita ex parte hominum respiciat, verum ex fonte solius gratiæ & meriti Christi proveniat; neque etiam inficias ire, quod ipsæ promissiones divinæ animos fidelium excitare possint, imò debeant etiam ad fidem per opera charitatis pro viribus demonstrandam, ita ut homo iustificatus in ipso operum bonorum cursu respectum habeat ad scopum à DEO præfixum, tanquam mercedem, sed omni ex parte gratuitam. Verum hoc est, quod in doctrina Patrum concoquere nullatenus possunt, quando audiunt & legunt, hominem Christianum ideo etiam posse bona facere opera, ut per ea tanquam aliquod Meritum, in quo fiducia sit ponenda, vitam impetrent æternam, quæ tanquam merces debita sub intuitum & respectum operantis cadat, quod antecedens etiam docuit controversia. Et quamvis Bellarminus partim scripturæ dictis, partim testimoniis Ecclesiæ Doctorum, atque sic Augustini etiam, hunc errorem suum incrustare satagit, nihil tamen effecit, quod ii dudum ostenderunt, qui totum systema controversiarum anatomia subjecerunt, nobis ad Augustinum tantummodò hic quoque respicientibus, ex cuius Commentario in Psalmum centesimum & vigesimum hæc habet: *Quid est, Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua? Id est: Quando facis bonum opus, fac propter vitam æternam. Nam si bonum opus in terra feceris propterea, ut terrena tibi abundent, scit sinistra tua, quid faciat dextera tua; misisti dexteram sinistra. Noli facere, nisi propter vitam æternam; ideo fac, & secutus facies, hoc enim mandavit Deus.* Post inter objectiones, quas in contrarium dicit opponi, quartam hanc recenlet, *Quod servile ac sordidum videatur operari propter Mercedem*; in responsione autem ad eam præter alia observat, Sanctos, cum detestantur amorem mercenarium, semper loqui de amore *commodorum temporalium*, citato Augustini tractatu in Johannem post Quadragesimum sexto. Sed utrobique iterum & utriusque testimonii, ex Augustino adductione & citatione à scopo abludit Bellarminus, atque sic ex more nihil agit. In primo namque Pater sanctus opponit Mercedem temporariam & æternam, hanc non illam in exercitiis Christianismi & pietatis stadio respici debere docens, contra bonorum temporalium nimios æstimatores ac eos, qui solum terrestribus inhiant, cœlestium obliti, quod ipse tenor verborum indicat, quæ Bellarminus idonea iudicavit, ut lectori commendaret, quibus si antecedentia & sequentia jungantur, rem ipsam non parùm illustrabunt, quam ibi tractavit. At nobis hic alius est controversiæ status, videlicet non scopum à DEO præfixum, id est, vitam æternam, & bona in eadem gratiosè & liberaliter promissa in oppositione ad bona hujus vitæ temporalis, sed sub ratione Mercedis propriè sic dictæ, ac bona opera tanquam media & Merita, per quæ illuc perveniatur, considerantibus; de quo nihil Augustino tum venit in mentem vel pennam, quantum ex citatis constat verbis. Verum & alter è Commentario in Johannem locus huc minime quadrat, ut potè ad mentem Christi *Mercenarium* à bono Pastore distinguens, hoc Christi & ovium, illo autem propriæ utilitatis & commodi temporalis rationem habente, quæ itidem hujus loci non sunt, ubi de *intuitu Mercedis æternæ*, quam quisque sibi ponit ob oculos ratione operum bonorum & inde provenientis Meriti disputatur, Evangelicis Meritum solius Christi & vitam æternam sub elogio Mercedis gratuitæ in cursu Christianismi intuentibus. Illustrationis ergo, & si ad alia liceret excursus facere, posset adduci sapientis quondam inter Judæorum Doctores *Antigoni* monitum ad discipulos, *Nescitis tanquam servi Domino ministrantes propter munus, ut accipiatis Mercedem*; nisi id pessime intellectum præbuisset occasionem errori *Saduceorum* in sacris damnato de negatis bonorum præmiis & malorum pœnis post hanc vitam, cui non dissimilis fuit error *Epicuri* & sequacium de Mortalitate animæ, de quorum utroque eruditiores non pauca habent notatu dignissima, verum huc non pertinentia. Atque sic hæc actum est ex Augustino de nullitate Meriti operum bonorum, & inani eorundem fiducia, ut & intuitu Mercedis exinde profecto, ostensumque luculenter, Doctorem sanctum & hic stare à partibus Evangelicorum; in solo Christi Merito fiduciam ponentium, Deique gloriam in omni actione sua respicientium, non *maior* modò, sed omnem & in su-

perlativo gradu *maximam*; qui inter ea certi sunt, etiamsi suis operibus, utpote femper imperfectis nihil apud Deum mereri possunt, cujus respectu Deus ipsis sit debitor, & quod jure ab ipso liceat postulare, tamen dum fidem operibus charitatis erga Deum & proximum non mortuam vel hypocriticam, sed vivam & sinceram esse pro viribus auxilio inhabitantis Sancti Spiritus ostendunt, sperant & expectant à DEO promittente æternam beatitudinem Christi solius merito partam, & magis atque magis in cursu bonorum operum progredi student, donec omni imperfectione finita eum facie ad faciem intuebuntur, qui est omnia in omnibus. Cætera, quæ Bellarminus porro habet de requisitis & conditionibus Meriti, nominatim de *libertate Arbitrii* ad id necessaria, de statu *adoptionis*, promissione DEI, *charitate tantam* fonte bonorum operum, distinctione item meriti *ex congruo & ex condigno*, atque hoc tam ratione pacti, quàm ratione operum ipsorum, divina etiam liberalitate in remunerandis operibus bonis *supra condignum*, & quæ porro his adnectuntur, quia non Evangelicis primariò sunt opposita, utur non rarò censuram ex Augustino mereantur, sed ipsi fratres Cadmæi inter semetiplos variè discutunt, ac Bellarminus in primis contra *Michaelem Bajum*, *Guilielmum Altsiodorensem*, *Durandum*, *Vegam*, aliosque prolixius disputat, lector quoque judicio non planè nullo præditus ex antecedentium controversiarum examine non adeò difficulter possit observare, quorsum Augustini sententia propendat, ad finem operis properantes, nunc quidem innocenti prætermittimus silentio, respicientes sequentia de bonis operibus in particulari.

CONTROVERSIÆ PRINCIPALIS TERTIÆ & ult.

DE BONIS OPERIBUS IN PARTICULARI LIBRI SECUNDI CAPUT SECUNDUM & seqq.

DE JEJUNIO,

Prætermittitur non immeritò liber primus de *Oratione*, utpote in quo non adeò multa occurrunt, quæ controversa possunt videri, iis tantum exceptis, quæ *horarum canonicarum* attinent antiquitatem, & in capite post decimum tertio leguntur, in quo tamen non nisi paucissima ex Augustini sermone quodam de Tempore verba exhibentur, de quibus autem, quia ad tempus quadragesimale pertinent, in præsentis quæstione de *jejunio* agitur. Cæterum ne horæ canonicæ à nobis omninò videantur damnatæ silentio, sufficiat lectori indicasse, actum de iis esse, utur breviter, in *Vindiciis Anti-Thomisticis*, ex quibus potest constare, eas hodie defendi debere, non tam contra hæreticos, quos communiter vocant, quàm quos sub finem antecedentis controversiæ dixi, fratres Cadmæos, qui, uti in cæteris quæstionibus non paucis, ita in hac etiam non desunt, negotium canonicis regularibus facientes, ne officium hoc cum beneficio amittant, sed utrumque conservetur in integro atque salvum. Producti sunt ibi *Hurtadus* & *Sinnichius*, contra *Bonartium* & *Caramuelem* hoc negotium seriò urgentes, atque horarum canonicarum conservationi omnibus modis incumbentes. Idem præter illos egit *Bonetus*, ordinis Prædicatorum Scriptor hodie celeberrimus, qui tertio Clyperi *Theologiæ Thomisticæ*, contra novos ejus impugnatores tomo peculiarem inseruit de *Conscientia probabilis*, vel opinionum à non paucis receptarum *probabilitate* vel *improbabilitate* dissertationem, inque ea præter alia dicti *Caramuelis* sententiam, quam in *praxi* *valde periculosum* censet, prolixo & rigoroso exposuit examini. Præprimis autem severiori stylo contra hos horarum canonicarum hostes nuper invectus est Cardinalis *Bona*, sub initium operis de *Psalmodia* mentionem faciens quorundam *Anonymorum*, de quibus scribit, quòd *ementito Theologorum nomine, ut facilius deciperent simpliciores, ausu fuerint publicam horarum canonicarum recitationem irridere & calumniari, agentes supervacua esse tot officia, ad honestam dumtaxat religionum, otio alioquin & inertia languentium, occupationem* (potuissent addere sustentationem) *ad inventa, cum in Ecclesiæ utilitatem, in studia literarum, in præstantissima charitatis opera diu noctuque incumbentibus non opus sit tantu & Psalmodia; post censuram latis acrem addens, electarios tant à inemperie Ecclesiasticum irridere cantum non miror, solenne illis est omnem pietatis speciem* (verè speciem, eamque satis speciosam) *omnemque religionis Majestatem* (pompam scribere debuit externam) *evertere. Actiniter Cathol-*

§. 79. &
seqq.